
PALAESTRA LATINA



ANN. XXXVI (Fasc. II) - N. 194
M. JUNIO - A. MCMLXVI

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

San Antonio M.^a Claret, 37 - ZARAGOZA

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: P. M. Molinam, C. M. F. - ALAGON (Zaragoza)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXXVI (Fasc. II) N. 194

M. JUNIO A. MCMLXVI

P. C. EICHENSEER, O. S. B., <i>In memoriam Josephi Holzeri Magistri Linguae Latinae Paedagogique vere magni</i>	49
P. J. M. MIR, C. M. F., <i>In memoriam Josephi Holzerii epistula</i> ...	69
P. EUSTASIUS J. MARTIN, O. R. S. A., <i>Maxima Marcillae gloria</i>	73
ANTONIUS PAGANO, <i>De Cordubensi philosopho</i>	76
J. C. PULCHRIMONTANUS, <i>Novis rebus nova nomina</i>	80
M. MOLINA, C. M. F., <i>Per Orbem</i>	82
BIBLIOGRAPHIA, <i>Molina, Aspa</i>	87



IOSEPHVS HOLZERIVS

VIR PIETATE IN DEVM CONSPICVVS FORTIS IN BELLO MILES
LIBERORVM PATER VXORIS VIR AMANTISSIMVS
SARALADOVICI GYMNASIVM PRVDENTER EST MODERATVS
LINGVAM LATINAM TOTO ANIMO EXCOLAIT NOVASQUE VOCES INTVLIT
QVEM NVPER AMISSVM LVGENT LITTERAE LATINAE

IN MEMORIAM JOSEPHI HOLZERI
MAGISTRI LINGVAE LATINAE
PAEDAGOGIQUE VERE MAGNI

Josephus Holzer, qui sibi nomen interdum imposuit Xylandri¹, a. d. X Kalendas Augustas (i. e. die vicesimo tertio mensis Julii) anno MDCCCXVIII p. Chr. n. Suirzhemii, in viculo Eiffaliae², Carolo Holzer et Theclā Hennes, parentibus piis, ortus in lucem editus est. Ejus pater, cum esset ludimagister, jam anno postero Hangardum³, in vicum ad Saram⁴ situm, qui distat a Monachiprātō⁵ septem chiliometris, con migrare jussus est. Ibi triennio post Josephulus circiter quattuor annos natus matrem pientissimam anno 1881 natam amisit. Illinc pater ejus anno 1912 post conjugis mortem mandatu magistratum Monachipratum, in vicum item Saraviae, transmigravit. Illic Josephus una cum patre apud avos⁶ cognatosque quosdam maternos⁷ habitavit, ubi Anna Hennes⁸, matertēra ejus eademque mātrīna⁹, ipsi bene facere consuevit. Sed ibi anno 1918, cum Josephus, filius unicus matris mature mortuae, puer decem annorum esset, avia de vita decessit iisdem fere annis avo defuncto et pater Martham Hennes, conjugis prioris, quae fuerat germanorum natu maxima, sororem anno 1896 natam, quae sororum natu minima septuagesimum primum annum nunc

1. Cf. PAL. LAT. n. 145: 24 (1954) 174-176.

2. *Schwirzheim/Eifel* (Eiffalia, Eifalia, Eiflia).

3. vulgo *Hangard*.

4. Cf. VIT. LAT. n. 23 (m. Dec. 1964), p. 83, adn. 40.

5. *Münchwies*; cf. SOC. LAT. 6 (1938) 19 et 7 (1939) 4; ALMA ROMA 25 (1938), fasc. VI, p. 98, fasc. XI, p. 175: Iosephus Holzer, Monachipratensis.

6. Cf. ThLL VIII 127,79-81 (magnus, -a, -um): D c. *vocibus cognationis*: amita, avunculus, matertera, patruus, socer, socrus. PAVL. FEST. p. 13 M veluti magnus pater est avus. Cf. ThLL I 1919, 56 sqq.: amita magna est avi *paterni soror*. ThLL II 1609, 14 sqq.: avunculus magnus: frater aviae. ThLL VIII 470, 20: matertera magna: aviae soror. Sed non inveni magnos parentes dici.

7. Cf. ThLL VIII 468,21 sqq. (maternus, -a, -um): *indicatur origo a matre: de cognatione ... de cognatis*: avus, avia, majores, cognati.

8. anno 1949 Monachiprati mortem obiit.

9. Cf. WALDE-HOFMANN: *Lateinisches etymologisches Wörterbuch*⁸, vol. II, Heidelberg 1954, p. 49: mātrīna f. «Patin» seit 6. Jh. (= inde a saeculo sexto). Cf. ThLL III 1822,19-24: commāter, -tris f. i. q. *mulier quae per baptismum quasi altera mater facta est*.

agens adhuc Monachiprati habitat, uxorem duxit, ex quo matrimonio posteriore Carolus et Villelmus filii Mariaeque filia nati sunt¹⁰.

Josephus autem annis a 1914 usque ad 1922¹¹ Monachipratensem ludum litterarium frequentavit. Deinde, cum esset jam aliquamdiu a spiritali pastore parochiae¹² propinquaе elementis studiorum linguae Latinae imbutus et instructus¹³ in classem tertiam scholae Prumiensis¹⁴ ab Reginōne abbate († 915) appellatae, gymnasii¹⁵ celeberrimi dioecēsis Trevericae, quotam ratione supputationis inversae etiam quartam dicunt, ingressus inde ab anno 1922 studiis disciplinarum liberalium se dedit, quae die 8 mensis Februarii anno 1929 maturitatis testimonium (seu diploma) adeptus absolvit.

Post Pascham autem ejusdem anni in Athenaeo¹⁶ Treverico¹⁷ stu-

10. *noverca* latine is quoque nominibus dicitur: ThLL VIII 473,72-75: *mātrastra*, -ae f. 473,78-80: *mātreā* id est *matrinia*. 475,55-59: *mātrīgna*, -ae f. i. q. *noverca*: CANON. Migne 56,891 A qui incestas nuptias contrahunt, id est *matrignam* (*mātrīniam et mātrīnam*) cognatam vel *socrum* aut *filiastram*.. in conjugio sibi sociant.

11. Cf. HIER. epist. 33,4,2 (CSEL 54,255,23-256,1) [*Origenes*] scripsit ... excerpta in psalmos a primo usque ad quintum decimum.

12. Cf. WALDE-HOFMANN, *op. mem.*, vol. II, p. 257.

14. *Prumia* (*Pruma*), -ae f., *adj.* *Prumiensis* (*Prumensis*), -e = *Prüm*, oppidum in Eiflia situm. Ibi anno 721 monasterium Benedictinum conditum, annis 882 et 892 a Normannis magnam partem dirutum, paulo post restitutum est, quam abbātīam S. Salvatoris Napoleon anno 1802 suppressit. *Asservantur haec scripta*: annales Prumienses (MGH Script. XV 1289-1293. Nomina fratrum Prumiensis coenobii (MGH Lib. confraternitatis 83 151 346). Notae Prumienses (MGH Script. XXX/2 766 sq.). Reginonis abbatis Prumiensis Chronicon (MGH Script. rer. Germ. [1890]). Series abbatum Prumiensium (MGH Script. XIII 302 sq.). — Cf. SCHORN, C.: *Eiflia sacra* II, Bonnae 1889, p. 324-423. — Cf. *Lexikon für Theologie und Kirche* (= *lexicon theologiae ecclesiacque*), vol. VIII, Friburgi Brisigavorum 1963, p. 847 sq.

15. Cf. SALV. gub. 7,68 *Carthagine* artium liberalium scholae, illic philosophorum officinae, cuncta denique vel linguarum gymnasia vel morum. Cf. ThLL VI 2 2380,12-22: *gymnasium fere id quod schola*.

16. Cf. ThLL II 1031, 18 sqq.: AVR. VICT. Caes. 14,3 ludum ingenuarum: *atium*, quod Athenaeum vocant (*instituit Hadrianus*). HIER. epist. 66,9,2 (CSEL 54,659,6) meminisse te puto erroris mutui, quando omne Athenaeum scholasticorum vocibus consonabat.

17. *Trēvīrī et Trēvērī, -ōrūm* (Augusta Treverorum) = nunc *Trier*: FORCELLINI-PERIN: *Lexicon totius Latinitatis*, tom. VI (onomasticon), Patavii 1940, p. 723.

Cf. CAES. Gall. 1,37,1 (ed. Seele, Lipsiae 1961, p. 31,24,27) legati ab Haeduis et a Treveris veniebant ... Treveri autem, pagos centum Sueborum ad ripas Rheni consedissee qui Rhenum transire conarentur; his praeesse Nasuam et Cimberium fratres. TAC. ann. 3,42,1 (ed. Koestermann, Lipsiae 1960, p. 108,29) Interim Florus insistere destinatis, pellicere alam equitum, quae conscripta a Treveris militia disciplinae nostra habebatur, ut caesis negotiatoribus Romanis bellum inciperet. 3,42,3 (p. 109,4) Treverici tumultus finis. — Cf. AAS 48 (1956) 590: Sacrae theologiae Facultas Trevirensis.

diorum ecclesiasticorum¹⁸ per duo studiorum spatia semestria in philosophiam perdiscendam incubuit. Deinceps post Pascham posteriori anni Bonnae¹⁹, post Pascham anni 1931 Gottingae²⁰, denique post Pascham anni posteriori Monasterii²¹ per duos annos philologiae historiaeque cognoscendis studuit, imprimis linguam Latinam penitus percepturus praeter scientiam sermonis Graeci dilatandam. Post studia autem privata tempusque quoddam discendi a. d. VII Kalendas Octobres (i. e. die vicesimo quinto mensis Septembris) anno 1935 p. Chr. n. in studiorum universitate (sive academīa) Monasteriensi examine²² publico probatus est.

Porro post haec studia disciplinarum primum annum temporis probationis praestituti petitoribus magisterii, quales referendarii scholastici dicuntur, in gymnasio Vendelinopolitano²³ prospere transegit. Intercesserunt autem ei cum patribus reverendis ejus domūs missionalis²⁴, quae est Vendelinopoli, rationes etiam post discessum semper validae.

Deinde denuntiatione quadam dolosa foedaque magisterii consequendi cursus crudeliter repressus est et impeditus. Quo factum est, ut ille ab anno 1936 usque ad annum 1938 a quovis magisterio exercendo excluderetur, cum ipsi pro crimine obiceretur²⁵, quod firmioribus rationibus cum Roma, id est Sancta Sede, devinciretur quam cum Berolino, id est imperiali curia Hitleriana. Quibus annis repudiationis

18. Cf. AAS 57 (1965) 191: Athenaeum Heythropense Studiorum Ecclesiasticum (*Heythrop Faculties of Theology and Philosophy*).

19. *Bonn*.

20. *Göttingen*.

21. Monasterium in Vestfalia = *Münster in Westfalen*.

22. Cf. MART. CAP. 9,892 puellas ... examine isto explorare constituit (cf. ThLL V 2 1164,56 sqq.).

Pontificium Institutum Altioris Latinitatis, Studiorum ordines et cursus, Pontificium Athenaeum Salesianum, Romae 1964, p. 33: nisi prius disciplinarum omnium ... periculum fecerit. p. 51: omnibus examen praevium erit subeundum, scripto et ore habendum, de litteris Latinis et Graecis. p. 52: vel examen praevium non superaverint. p. 53: experimentum vero ore habendum ad res spectabit ... AAS 57 (1965) 191: qui (*candidati*) ... pericula scripto et ore bene superaverint. *Ibid.* p. 192: examina ore et scripto subeunda. *Ibid.* p. 347: [*qui*] ... examina ad doctoratum superaverint.

KREBS-SCHMALZ: *Antibarbarus der lateinischen Sprache*?, vol. I, Basel/Stuttgart 1962, p. 532: examinare, explorare, exquirere, quid sciant, quid didicerint discipuli; cognitio discipulorum.

23. Vendelinopōlis, *adj.* Vendelinopolitanus, -a, -um = *St. Wendel*, municipium Saraviae, quod a Monachiprato viginti chiliometris abest.

24. *Missionshaus*.

25. Cf. AVG. in psalm. 30 serm. 3,7,9 (CChL 38,217) Ergo si speras in Domino, coram hominibus spera, ne forte abscondas ipsam spem tuam in corde tuo, et timeas confiteri, cum tibi pro crimine obiciatur, quia christianus es (cf. ThLL IV 1190,63 sq.).

multos angores angustiae anxietates aliaque perpessus propter praeclusum aditum ad magisterium ²⁶, in Monachipratensi praedio paterno tam in agellis colendis ²⁷ quam in vaccis pecudibusque curandis ²⁸ ceteros adjuvabat. Tamen hoc otio molestissimo extrinsecus injuncto, quantum fieri potuit, etiam atque etiam ad latine commentandum sedulo usus est.

Sed pro condicione rerum interdum tristissimus et maestissimus secum deliberabat, an expediret in Americam emigrare. Quo consilio complendo ut desisteret, Marianna Effenert effecit, quae ipsum die quarto mensis Decembris anno 1938 primum novit postmodum sponsa futura dilectissima.

Denique, quamvis factioni Hitlerianae nomen numquam dedisset, multis precibus iteratis et intercessione quadam viri familiaris factum est, ut Januario mense anni 1939 in gymnasium Ludovicianum ²⁹ urbis Saroponti ³⁰ admitteretur, ubi alterum annum probationis referendarii praescriptum perageret.

Sed bello coorto Kalendis Septembribus ejusdem anni propter pericula proeliorum imminencia cum plerisque incolis ex finibus Saraviae excedere jussus magistratibus scholasticis Rhenaniae ³¹ se praesentavit, qui ipsum scholae cuidam Vupperthaliensi ³² addixerunt. His condicionibus tum Kalendis Decembribus ejusdem anni tandem examine paedagogico Bonnae comprobatus est. Ab eadem die titulo studiorum assessoris decoratus ³³ publiceque muneri magisterii mancipatus tri-duo post, die quarto mensis Decembris, dominico die secundo sacri temporis adventus, Bonnae cum Marianna primo die anniversario consuetudinis captae sponsalia facta celebravit. Idem mandatu magistratum usque ad Kalendas Februarias insequentis anni Vupperthaliae,

26. Cf. VVLG. Luc. 21,17 et eritis odio omnibus propter nomen meum.

27. Cf. PLIN. epist. 6,3,1 (ed. Schuster, Lipsiae 1958, p. 173, 11) Gratias ago, quod agellum, quem nutrici meae donaveram, colendum suscepisti (cf. ThLL I 1280,22).

28. Cf. ThLL IV 1501,77 - 1502,3: (cūrāre) *bēstias*.

29. *Ludwigsgymnasium*.

30. Hujus urbis nomen non una ratione legitur scriptum: Sarae pons, Sa-rebrugka, Sarraepontum, Sarāvi pons, Saropons = *Saarbrücken*; cf. CHART. Otterb. (ed. M. Frey - F. X. Remling 1845) 63 comes Sarapontis. — Cf. PAL. LAT. n. 158: 27 (1957) 93: Nuper mihi Saropontem proficiscenti obviam fit collega emeritus (*scribit Josephus Holzer*). Ego malo dicere 'Saropontum' ut Aenipontum.

31. *Rheinland*.

32. Vupperthalia, -ae f. = *Wuppertal*, municipium in valle Vipperae situm. — Illa schola in tribu Elberfeldensi (*Elberfeld*) sita erat.

33. Cf. AAS 57 (1965) 265: Etenim Pius nonus primum Cubicularii secreti, postea Praelati Domestici titulis eum [= *Victorem Scheppers sacerdotem saecularem*] decoravit: Archiepiscopus vero Mechliniensis Cathedralis ecclesiae Canonicorum coetui adscripsit.

deinde tres fere menses usque ad ineuntem mensem Majum ejusdem anni 1940 Emmerīcae³⁴, in oppido ad Rhenum inferiorem sito, discipulos diligenter docebat.

Sed die decimo mensis Maji ad arma vocatus scholam relinquere coactus est. Ejusdem anni die vicesimo mensis Julii pater ejus mortuus est, qui triduo post, id est die vicesimo tertio mensis Julii in patria sepultus est. Cui funeri paterno ille justa solvit, postquam itinere citissime confecto ex Borussia orientali³⁵, quae Germaniae provincia partim Polonicae nunc est dicionis partim Russicae, tempestive ad locum sepulturae advēnit paulo post ad manipulum suum reversurus. Paullisper autem dum accepto commeatu a copiis abest, a. d. IIII Kalendaras Majas (i. e. die 28 m. Aprilis) anno 1942 Mariannam, sponsam amantissimam decem annis minorem, uxorem duxit, ex qua deinceps post militiam Carolum-Alexandrum et Paulum-Josephum filios et Mariam-Teresiam filiam suscepit. Denique quinquies vulneratus³⁶ die quinto mensis Novembris anno 1943 aureo nomismate insignitus ab exercitu dimissus est.

Postea scholae Ingobertopolitanae³⁷ attributus die septimo decimo mensis Decembris anno 1943 primum cum conjuge concessit³⁸ in diaetam³⁹ trium conclavium coquinaeque. Quod habitaculum⁴⁰ in domo pārōchi situm usque ad mensem Novembrem anni posteriori inhabitavit. Ibi familiaritatis necessitudinem cum curione (sive parocho) duobusque cappellanis⁴¹ conjunxit. Sed diebus mensis Novembris anni 1944 acies pugnantium appropinquabant et tela tormentorum majorum in oppidum Ingobertopolim coniciebantur. Quibus condicionibus ille cum

34. *Emmerich/Niederrhein.*

35. *Ostpreußen.*

36. Cf. SOC. LAT. 11 (1943) 30: Iosephus Holzer, studiorum assessor, pro tempore miles compluries vulneratus, nunc in valitudinario morbo detentus.

37. Ingobertopōlis = *St. Ingbert*, oppidum Saraviae, quod a Monachiprato quindecim chiliometris abest et a Saroponto triginta quinque.

38. Cf. ThLL IV 8,10 sqq. (concedere): LVCR. 5,1012 mulier coniuncta viro concessit in unum. LIV. 21,15,3 Carthaginem Novam in hiberna. SVET. Nero 48 in specum.

39. Cf. ThLL V 1 947,68 sqq.: 2 i. q. *cubiculum, cenaculum, pars domus (vel navis), habitatio in hortis.*

40. Cf. ThLL VI 3 2466,27 sqq.: I habitaculum *est locus, ubi habitatur, a de domo vel parte domus*: MVTIAN. Chrysost. hom. 28,4 p. 413 domum duo vel tria habitacula concludentem (οἰκταν τριῶν οἰκημάτων).

Cf. *ibidem* p. 2469,25 sqq.: habitatio *est locus, ubi habitatur*: A *proprie*: 1 i. q. *domus, casa vel pars domus.*

41. cappellanus, -i m. = *capellán, capelão, capellano, chapelain, chaplain, Kaplan.*

Cf. AAS 57 (1965) 704-712: Litterae Apostolicae: Statuta approbantur ad curam spiritualem militum Rei publicae Foederatae Germaniae spectantia. Nr. II (p. 707-709): De militum Cappellanis.

conjugē Monachipratum in domum paternam ad novercam eandemque materteram revertit, ubi per novem fere menses mansit.

Deinde Kalendis Augustis anno 1945, quo tempore Carolus-Alexander decem dies natus erat, scholam Lebacensem ⁴², quale gymnasium doctrinae magis ad mathēmaticam disciplinasque physicas ⁴³ spectantis breviter reale ⁴⁴ dicitur, moderandam suscepit. Ibi, quamquam moderator jam erat, Kalendis Novembribus anni 1947 nomine consilarii studiorum et anno 1950 Kalendis Septembribus studiorum directoris titulo decoratus est. Exstat autem epistula quaedam ad Mirum, patrem perquam reverendum eundemque tum moderatorem commentariorum PALAESTRAE LATINAE Idibus Februariis anni 1954 media nocte Lebāco dātā, qua certiores fīmus, quanta religiositate quantaque diligentia pietatis paternae filiorum animos scientia mysteriorum Christianorum instruxerit. Nam ibi cum alia scripsit tum haec: «Opportune etiam libellum de Divo Antonio Clareto, hujus aetatis apostolo Eucharistiae his temporibus tenebricosis lucidissimo tradidisti. Quo quidem duce libello Carolum Alexandrum, filium majorem, qui proxima Dominica in Albis primum accessurus est ad sacram synaxin, edocui, quantopere Sanctus Claretus Jesum in tabernaculo delitescentem adamavisset, quantoque sacram communionem paravisset animi fervore. Si adfuisses, mi Mire, videbas, quam attentissimo Alexander animo me Eucharisticam rem prosequeretur tractantem. Atqui ipse sentiebam, quantum in puerorum moribus Christiane formandis umeris nostris impositum esset onus periculi plenum, illud divini Magistri in mentem revocans: 'Sinite ad me venire parvulos!' » ⁴⁵ Iisdem fere annis ille, qui factioni Hitlerianae, quamvis insectationibus vexatus de-

42. Lebācum (Lebachium), -ī n. = *Lebach*: cf. SOC. LAT. 14 (1948) 23: Lebacī ad Sarāvum. PAL. LAT. nn. 149 sq.: 25 (1955) 44. 105: Lebachii. n. 154: 26 (1956) 99: Lebachio. — Distat Lebacum a Saroponto viginti quinque chiliometris, a Monachiprato quinquaginta.

43. Cf. CIC. part. 64 (ed. Wilkins, Oxonii 1955) Cujus generis omnes sunt in quibus, ut in obscuris naturalibusque quaestionibus, causae rationesque rerum explicantur. GELL. 2,28,1 (ed. Hosius, Stutgardiae 1959, p. 138,9 sq.) sed ne inter physicas quidem philosophias satis constitit. Cf. VIT. LAT. n. 8 (Sept. 1959), p. 62 (adr. 25).

44. Cf. Acta conventus Lugdunensis (2^{um} Congrès international pour le LATIN VIVANT [Lyon-Villeurbanne, Sept. 1959], Avignon 1960), p. 133.

Cf. MAR. VICTORIN. rhet. 1,8 (ed. Halm, p. 180,20) Alii hanc constitutionem (*sc. conjecturae*) realem vocarunt, quod enim quaeratur, utrum res ... facta esse videatur. OP. imperf. in Matth. 47 (*Migne*, PG 56), p. 899^b Haec enim synagoga erat illa ficulnea, ornata foliis, et fructibus vacua: quae arbor videbatur, non autem erat nisi figuralis, sed erat synagoga realis: sicut et Judaea, quae verba sanctitatis portabat, et opera pietatis non habebat; quae videbatur populus Dei, non autem erat, ad quam venit Christus esuriens.

45. PAL. LAT. n. 145: 24 (1954) 178 sq.: Amico Amicus.

trimenta caperet, numquam adscriptus erat ⁴⁶, non est veritus profiteri in se ex Germanis prognato sanguinem esse Teutonicum ⁴⁷, quamquam tum nomen Germanicum multis erat offensioni. Nam post bellum universale confectum Saravia aliquatenus dicionis Francogallicae erat ⁴⁸. Sed idem, qui erat unus ex eis, qui genua Bahali ⁴⁹, id est idōlis consiliisque detestabilibus tyrannidis Hitlerianae, non incurvaverant, etiam pro condicionum iniquitate nova impavide se praebuit aequitatis verae studiosissimum.

Denique Kalendis Augustis anno 1956 cum suis Saraludovicum ⁵⁰ vocatus Lebacum reliquit, ut gymnasium Saraludovicensi praeesset Kalendis Novembribus ejusdem anni director superior studiorum nominatus. Ibi ad hortum urbicum ⁵¹ molem ⁵² novam aedificii scholaris

46. Cf. VVLG. apoc. 13,16 sq. Et faciet [illa bestia] omnes pusillos et mag-nos, et divites et pauperes, et liberos et servos habere charactērem in dextera manu sua aut in frontibus suis; et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet charactērem, aut nomen bestiae aut numerum nominis ejus. Cf. 13,3 sq. Et admirata est universa terra post bestiam. Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiae, et adoraverunt bestiam.

47. Cf. LIV. 8,7,19 si quid in te nostri sanguinis est. Cf. CIC. nat. deor. 2,138 ex his partibus sanguis per venas in omne corpus diffunditur (ThLL V 1 1107,76 sq.). LACT. opif. 7,2 (CSEL 27,24,19) per quas [venas] discurrens umor et sanguis.

48. usque ad Kal. Ian. a. 1957. Res monētālis a. 1959 mutata est.

49. Cf. TERT. adv. Jud. 1,7,47 (CChL 2,1340) Sic namque posterioribus temporibus, quibus reges eis [=Judaeis] imperabant, et cum Hieroboam vaccas aureas et lucos colebant et Bahali se mancipabant. VVLG. III reg. 19,18 (BIBLIA SACRA ad codicum fidem, vol. VI, Romae 1945, p. 186 sq.) et derelinquam mihi in Israhel septem milia universorum genua quae non sunt incurvata Baal (cf. *ibidem* adnotationem hanc: «baal» est dativi casus.). SVLP. SEV. chron. 1,25,5 (CSEL 1,28,17) perfecto sacrificio dirutaque ara, quam Baalis idolo Mādīānītae sacraverant, [Gēdēōn] ad suos profectus castra castris hostium contulit. 1,43,1 (p. 45,7) Hujus imperii tempore Achāb, Ambrī filius, rex decem tribuum fuit, ultra omnes in Deum impius, namque Jēzābēl filia Bāsae regis ex Sīdōnē in matrimonio accepta Bahali idolo aram lucosque constituit, prophetas Dei interemit. — Cf. ThLL II 1647,65-67.

50. *Saarlouis*; cf. PAL. LAT. n. 158: 17 (1957) 94: Scr. Sara Ludovici a. d. XIII Kal. Majas, a. MCMLVII.

KOCH, Georg Aenotheus, *Deutsch-Lateinisches vergleichendes Wörterbuch der alten, mittleren und neuen Geographie*, Leipzig (Lipsiae) 1835, p. 221: *Saar=Louis*: Arx Ludovīci ad Saram, Fanum St. Ludovīci ad Saram, Sarāvus Ludovīci, Sarluitium. — Denique ex Rudolfo Schmitt, consiliario studiorum Saraludovicensi, comperi Josephum Holzer dixisse 'Saraludovicum, -i n.' [*epist. die 13. Febr. a. 1966 data*].

51. *Stadtgarten*; cf. VIT. LAT. n. 10 (m. Majo 1960), p. 7: Deinde gressus ad Hortos Urbicos segniter tuli (*Holzer*).

52. Cf. ThLL VIII 1341,35 sqq.: *mole*s. p. 1342,7: molem novam ad defensionem viae ... fecerunt. HOR. carm. 3,29,10 molem propinquam nubibus. Talis moles fortasse id est, quod nobis *rascacielos, grattacielo (grattanuvole), gratteciel, skyscraper, Wolkenkratzer*.

viribus contentis curavit exstruendam. Porro in hac schola, quae est et liberalis et realis disciplinae, anno 1959 seminarium, quod dicitur referendariorum scholasticorum scholaribus necessitatibus conformandorum, institutum est, in quod ille multas magnasque curas impendit. Idem a Paschätis diebus anni 1965 necessitate coactus aliud quoque gymnasium disciplinae in spatium sex annorum contractae, quale ludo litterario octo annorum completo nixum dicunt impositivum⁵³, suscepit regendum⁵⁴.

Sed jam circiter dies festos Pentecostes ejusdem anni⁵⁵ frigoribus febribusque correptus aliquamdiu lecto tenebatur. Deinde post duos fere menses laborum exanclatorum et officiorum expletorum recessum ruralem quaesiturus die 24 mensis Julii archiabbätiam Ottiliensem⁵⁶ in Bavaria superiore⁵⁷ sitam obiit, quo se cum suis inde ab anno 1962 quotannis aestatis tempore contulerat animum colloquiis lectionibus meditationibus relaxaturus viresque corporis ambulationibus somnisque quietis refecturus, denique sacram liturgiäm participaturus. Sed condiciones valetudinis parum prosperae ac recreationis tempore in melius mutatae non sunt. Postea ex loco quietis captae profectus itinere per Mönäcüm⁵⁸ facto Mariam sororem nuptam visitaturus plägam Bavariae magis orientalem petivit.

Inde paucis diebus post in patriam reversus⁵⁹ medicos consuluit ipsisque se commisit. Quo factum est, ut exeunte mense Augusto⁶⁰ in nosocomium Elisabethänum Saraludovicense⁶¹ reciperetur curandus. Deinde post jecoris morbi remissionem Aquas Mergentanas⁶² adiit,

53. *Aufbaugymnasium.*

54. Cf. PAL. LAT. n. 160: 27 (1957) 225: Josephus Holzer, rector Saraludovicensis.

55. Dies dominicus Pentecostes hoc anno celebratus est die 6 mensis Junii.

56. *Erzabtei St. Ottilien*; cf. HIER. epist. 77,1,1 (CSEL 55,37,5) quartae aestatis circulus volvitur.

57. *Oberbayern.*

58. Ita factum est, ut tum per aliquot hebdomadas Monaci moratus die 16 m. Augusti Josephum Paulo-Josepho filio minore comitatum convenirem ultimum. Inde discedens dixit: «Quando inter nos videbimus? Poteritne fieri, ut salvi denuo conveniamus? Sed Deus providebit. Vale!» Similibus verbis ego maestificatus maestificatum eum valere jussi et benedictionem caelestem precatus resalutavi. Postremo horä sextä decimä et quadrante eum ex fenestra currus ferriviarii jam promoti prospicientem brachiisque porrectis mappulas agitantem omnibus votis prosecutus sum, donec tramine deflexo in omne tempus ex oculis meis evanuit.

59. die 20 mensis Augusti anni 1965.

60. die 25 mensis Augusti.

61. *St. -Elisabeth-Klinik, Saarlouis* - inde dimissus est die 14 m. Oct.

62. *Bad Mergentheim* (cf. SOC. LAT. 12 [1944] 17 sq.) = Mergëthum, Mergenthemium.

ubi curatione sex hebdomadum⁶³ sanitati prorsus restitueretur. Sed balneatoris incuriā parum diligentes tractatus etiam renum inflammatorum malum contraxit. Itaque circiter initium mensis Decembris gravius aegrotans in Saraludovicense valetudinarium Elisabethanum reportatus⁶⁴ in dies magis infirmabatur, ut vix quicquam spei relinqueretur. Denique a. d. XVI Kalendas Januarias anni MDCCCCLXVI (i. e. die septimo decimo mensis Decembris anni 1965), fēriā sextā, post noctis tempus quiete transactum mane circiter oram sextam semis, cum uxor in margine lecti vigilanter assidēret⁶⁵, quae languore mariti commota consolatura modo Dei clementiam benignitatem misericordiamque laudaverat, eo ipso momento ille continuatione passionis attenuatus et acerbitate dolorum mundatus improvise pallescens et elūrēscēns⁶⁶ toro revolutus spiritum exhalavit ad Deum creatorem Christumque redemptorem regressus.

Corpus ejus triduo post, id est die vicesimo mensis Decembris, post missae sollemnis sacrificium exsequiale horā octavā semis celebratum Deoque pro requie animae defuncti oblatum in eo coemētēriō Saraludovicensi, quod est saeculi novi⁶⁷ nomine significanter nuncupatum, honorificentissime sepultum est. Ibi resurrectionem mortuorum exspectat, quam Christus pro genere humano passus mortuusque suis promisit summa spei certitudine opperendam cum regno sempiterno salutis et gaudii et pacis.

Fuit autem Josephus Holzer linguae Latinae defensor indefessus et propugnator assiduus idemque vir probitate morum et animi sinceritate et sensuum pietate mirabiliter insignis. Qui Dei cultor vere religiosus suis amantissimus et amicis dilectissimus desiderium sui reliquit ingens.

Hic jam a pueris sonoritate sollemnitateque sermonis Latini, utpote qui cottidie in caerimoniis rituum sacrorum adhiberetur, mirum quantum alliciebatur. Adulescens autem tot vocabula, quae ex utroque

63. a die 26 m. Oct. usque ad diem 3 m. Decembris.

64. die quarto mensis Decembris, sabbato.

65. Cf. SVET. Aug. 64,3 (ed. Ihm, Stutgardiae 1961, p. 84,3) neque cenavit una, nisi ut [*nepotes*] in imo lecto assiderent, neque iter fecit, nisi ut vehiculo anteirent aut circa adequitarent. HIER. epist. 117,8,2 (CSEL 55,431,9) ipsum jactant adsidere lectulo, obsetrices (*var. l. obstetrices*) adhibere languenti, portare matulam, calefacere lintea, plicare fasciolas. 108,27,2 (p. 346,8) ipsa [*Eustochia*] adsidere lectulo, flabellum tenere, sustentare caput, pulvillum supponere, fricare pedes manu, stomachum confovere, mollia strata componere, aquam calidam temperare, mamphūlam adponere, omnium ancillarum praevenire officia, quidquid alia fecisset, de sua mercede putare subtractum.

Cf. ThLL II 878,20,45: assidēre. VIII 249,83 sqq.: mamphūla. -ae *f. i. q. genus placenta* ... panis Syriaci genus.

66. Cf. ThLL V 2 436,4-7.

67. *Neue Welt*.

volumine ejus lexicum, quid uno verbo GEORGES dicitur, studiosissime expiscatus erat, memoriae mandavit, ut cuncta carminum Vergilianorum verba memoriter sciret. Simili studio posterioribus quoque annis litteras antiquas recentioresque perlegebat et perquirebat, quo praeter scientiam rerum quaesitam volubilitate verborum exercendus ea vocabula dispersa conquireret congereret colligeret, quae ipsi ad sermones cum aliis expedite instituendos, epistulas facile scribendas, commentationes commode conficiendas opus essent.

Tamen non semel confessus est se tantum laboris studiique in linguam Latinam perdiscendam usuique restituendam contulisse, quanto nisu minimum septem linguas recentiores addidisset. Sed splendore singulari et utilitate evidenti linguae Latinae impulsus in spem sermonis communis cum salute cunctorum eruditorum instaurandi rapiebatur.

Ergo multiplex supellectile scientiae instructus et tenacitate mirabili memoriae praeditus ut bonus paterfamilias de thesauro suo vetera et nova proferebat⁶⁸. Itaque praeter usum consuetudinemque cottidianam jam ex illis annis, quo tempore propter condiciones iniquas imperii Hitleriani scholis exclusus erat⁶⁹, non pauca latine scripsit in variis commentariis periodicis vulgata. Quibus verbis cum aliis communicabat, quae sive lectione plurima apud alios scriptores auctoresque invenerat sive deliberationibus circumspecte habitis ipse condiderat.

Atque primum quidem, quod sciam, anno 1937 in commentariis SOCIETATIS LATINAE Monacensis aestimationem quandam vocabulorum propositorum fecit. Ibi deinceps usque ad annum 1953 non pauca vulgavit⁷⁰.

68. VVLG. Matth. 13,52 Ait [*Jesus*] illis: Ideo omnis scribe doctus in regno caelorum similis est homini paterfamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

69. 1936 - 1938.

70. SOC. LAT. 5 (1937) 9-10: Anotationes criticae ad vocabularium.

5 (1937) 10-11: De sclöpētō eiusque partibus.

6 (1938) 19-24: Gymnica.

7 (1939) 4-6 : De fidiculae fabricatione.

8 (1940) 26-30: De sclopetatione minuta.

8 (1940) 52-54: Vocabularium ad artem sclopetandi spectans.

9 (1941) 3-7 : De Michaelis Olmonis consilio civitatem Latinam condendi.

11 (1943) 30-31: Supplementum ad vocabularium neolatinum.

13 (1947) 13-18: Nomenclatura vestiaria.

14 (1948) 22-23: In memoriam Caroli Flesch, Augiensis medicinae doctoris.

16 (1950) 26-32: De coniunctionum quod quia quoniam in subiunctis propositionibus enuntiativis usu.

19 (1953) 14-18: Radiophonica.

De his commentariolis vocabulariisque divulgatis in fasciculo tertio commen-

Similiter jam anno 1938 in commentariis Romanis, quibus erat index ALMA ROMA, primum scripsit, ubi cum varia genera autocinetorum tum ipsius currūs automatarii partes singillatim denominare conatus est vocabulis magnam partem ab Andrea Avenario ⁷¹ tum propositis. Quae nomina typis descripta postea non uno loco sive sua manu supplevit sive minio supernotata ⁷² retractavit ⁷³. Ibidem eodem anno rebus instrumentisque novis generis maxime varii, inter ⁷⁴ quae etiam birōta ejusque partes enumerantur atque radiophōnum ipsiusque particulae structurae et armamenta additicia ⁷⁵, nomina scienter imposuit ⁷⁶. Porro postero anno ibidem epistula proponitur, qua de rebus quibusdam domesticis, ut vestimentorum vel pannorum, specialiter tractatis latine denominandis egit et de rebus artis grammaticae et artis sclopetariae et oeconomiae publicae et mercium tābācinārūm ⁷⁷.

tariorum VOCIS LATINAE, qui Ottobrunnae prope a Monaco eduntur fusi usque: 1966/1 (*Jan.*), p. 15-20. — De nomine *vocābulārīi* cf. WALDE-HOFMANN: *Latinitisches etymologisches Wörterbuch*³, vol. II, Heidelbergae 1954, p. 823.

71. Cf. PAL. LAT. n. 169: 30 (1960) 37-38: P. Andreas Haberl, S. V. D. — Hoc vertente anno P. Andreas Haberl, S. V. D. — quem legentes *Palaestram Latinam AVENARIUM* norunt — commentariorum nostrorum assiduus et illustris scriptor, ab inito sacerdotio diem anniversarium quadragesimum [?, *recte* quinquagesimum ?] mense februario celebravit. n. 177: 32 (1962) 265-268: Superiore anno, adventante quinquagesimo sacerdotii mei anniversario, ... n. 178: 323 (1962) 352: A. Avenarius = *Haberl*; nam Germanice *Hafer* (*Haber*) = *avēna*.

72. Cf. PRISCILL. can. p. 112,5 supernotatum: cf. ThLL VIII 1026, 83 sqq.

73. ALMA ROMA 25 (1938) 98-99 et 120-121: Nostra res. Ad renovandum latinae linguae usum. Iosephus Holzer Monachipratensis Almae Romae socii et lectoribus humanissimis. Cf. acta conventus Lugdunensis (2^{ma} Congrès international pour le LATIN VIVANT [Lyon-Villeurbanne Sept. 1959], Avignon 1960), p. 133: *R. P. Iosephus Mir*: Iosephus Holzer — qui nunc Reale Gymnasium Saraludovicense regit — anno 1938 genera automobilium summa dexteritate et rei peritia descripsit multaque nova proposuit verba. Cf. ALMAM ROMAM 26 (1939) 64-66: Iosepho Holzer ... Iosephus Fornari, Almae Romae commentarii Moderator, s. d. pl.

74. Cf. COLVM. 2,11,6 *Cornelius Celsus* inter ceteras dotes ejus leguminis (*i. fabae*) hanc quoque enumerat *eqs.* TERT. adv. Marc. 5,17,5,1 (CChL 1,713) haec quoque spiritualium species enumeratur inter septem spiritus per Esaiam. jejun. 8,4,11 (CChL 2,1265) apostolus in secunda Corinthiorum inter labores suos et pericula et incommoda post famem ac sitim jejunia quoque plurima enumerat. Cf. ThLL V 2 618,81 sq. (*ēnumerāre*).

75. *accessorios, accessoriis, accessori, accessoires, accessoires, Zubehör, neograece: ταρίφτημα, εξάρτημα.*

76. Cf. CIC. fin. 3,3 (ed. Schiche, Stutgardiae 1961, p. 87, 22 sq.) ... verba parienda sunt imponendaque nova rebus novis nomina. — Cf. ThLL VII 1 658,47-76 (*impōnere*).

77. ALMA ROMA 26 (1939) 154-155. Ibi etiam *sclopetatio minuta* (*Kleinkaliberschießen*) commemoratur; cf. SOC. LAT. 8 (1940) 26-30: *De sclopetatione minuta*. Respondit autem Avenarius quaestionibus ibidem propositis: ALMA ROMA 26 (1939) 173-175 [fasc. XII, Dec.].

Postea conquisitus non jam quicquam vulgavit nisi quae in fasciculis SOCIETATIS LATINAE sparsim inveniuntur, donec anno 1951 commentarios PALAESTRAE LATINAE repperit, quorum nomen praeclarum existentiamque laudabilem jam anno 1933 noverat ⁷⁸. Sed tum iniquitate condicionum impeditus erat quominus illos libellos aequalibus intervallis editos sibi comparet.

Primam autem epistulam mense Aprili anni 1951 nescio quomodo ad Josephum Jiménez Delgado, patrem reverendum eundemque Professorem linguae latinae, misit, quem per errorem pro moderatore PALAESTRAE LATINAE habuerat ⁷⁹. His litteris eum commentarium in fasciculis PALAESTRAE LATINAE postmodum evulgatum addidit, quo de *quod quia quoniam* conjunctionum usu non ita recto sagaciter agitur ⁸⁰.

Paulo post primum hunc nuntium renuntiat, quomodo, cum Lebaci habitaret, telephonice domum revocatus sit his conjugis verbis: «Advenit una aliqua te salutatura ex terra longinqua!» Illuc a schola reversus tum primum fasciculum PALAESTRAE LATINAE invenit. Iisdem litteris apud Josephum Mirum, patrem reverendum eundemque moderatorem PALAESTRAE LATINAE, se excusat, quod Josephum Jiménez Delgado moderatorem perperam appellasset ⁸¹.

Deinde per aliam epistulam mense Majo ejusdem anni scriptam belli vastationes facinoraeque Russorum refert et quaestionibus expediendis ⁸² respondet. Denique sententiam suam alias quoque non raro prolata ⁸³ his aperit verbis: «Videor mihi interdum stare in nave, quae jamjam mergatur fluctibus tempestatis. Attamen, quamvis parva manus simus, artius conserentes latus lateri intendere debemus et volumus operam atque industriam, ut ex ruinis laetius reflorescat communis res nostra Latina. Omnem spem pono in vobis Hispanis et in vestra illustri scriptura periodica ⁸⁴». In eadem epistula nonnulla no-

78. Cf. PAL. LAT. n. 128: 21 (1951) 74.

79. PAL. LAT. n. 128: 21 (1951) 74. Ibidem P. Jiménez Delgado respondet Josephumque Holzerum his verbis monet: «perge tueri acerrimo animo rem Latinam!».

80. Cf. PAL. LAT. nn. 127-130: 21 (1951) 43-45, 72 sq., 83 sq., 103-105: De conjunctionum *quod quia quoniam* usu abolendo in subjunctis propositionibus enuntiativis. Cf. SOC. LAT. 16 (1950) 26-32.

81. Cf. PAL. LAT. n. 128: 21 (1951) 75.

82. Cf. AVG. civ. 7,1,9 sq. (CChL 47,185) quid de hac quaestione expedienda ulterius desideret.

83. Cf. RVFIN. apol. adv. Hier. 1,30,20 (CChL 20,65) sub aliena persona suam sententiam proferunt.

84. PAL. LAT. n. 129: 21 (1951) 90.

mina latine reddita proponit, quibus mense Julio ejusdem anni alia addit ⁸⁵.

Postero anno copiosam nomenclaturam vestiariam exhibere coepit ⁸⁶. Iisdem fere mensibus nonnullae epistulae datae afferuntur, ubi ille Josepho Jiménez Delgado valetudinem prosperiorem precatur et nonnulla nomina nova proponit probanda, quorum quaedam ad autocinētum birōtam viam ferratam spectant ⁸⁷. Idem scribit se summo gaudio legisse, quae de Antonio Maria Claret in catalogum Beatorum relato memoriae tradita sunt ⁸⁸.

Deinde quaestionibus Avenarii provocatus, qui commemorat epistulam anno 1940 acceptam ⁸⁹, res rationum pecuniariorum aggreditur singillatim denominare ⁹⁰. Porro titulos commentariorum quorundam periodicorum suscipit latine reddendos vel interpretandos ⁹¹. Deinde ad rem athleticam convertitur et ad varia genera lūsūs pilae ⁹².

Novembri autem mense anni 1953 per litteras Josepho Mir, patri perquam reverendo, qui suum patrem amiserat, verbis amicis dolorem declarat participatione perceptum ⁹³. Disceptat etiam cum Avenario de incrustationibus glacialibus speciei florum similibus, quae brumae tempore in vitris fenestrarum fiunt, latine nominandis ⁹⁴. Paulo ante per litteras Kalendis Februariis anni 1954 datas dixit se tantum studii in linguae latinae scientia dilatanda posuisse ⁹⁵, quanto certe complures linguas peregrinas ⁹⁶ aetatis nostrae didicisset ⁹⁷. Ibidem non dubitat nonnulla nomina rei athleticae retractare, quam rem aliis quoque

85. Cf. PAL. LAT. n. 130: 21 (1951) 111 sq.; cf. *ibidem* p. 112 sq.: responsum Patris Josephi Mir.

86. Cf. PAL. LAT. nn. 131 sq., 134, 136 sq.: 22 (1952) 130-132, 146-148, 186, 229-231, 23 (1953) 15 sq. — Cf. SOC. LAT. 13 (1947) 13-18.

87. Cf. PAL. LAT. nn. 131-133: 22 (1952) 132-135, 155-157, 193.

88. Cf. PAL. LAT. n. 132: 22 (1952) 155.

89. Cf. PAL. LAT. n. 133: 22 (1952) 177.

90. Cf. PAL. LAT. n. 134: 22 (1952) 191-193.

91. Cr. PAL. LAT. nn. 136-138: 22 (1952) 223 sq., 23 (1953) 3-5, 33-35.

92. Cf. PAL. LAT. nn. 139, 143-145: 23 (1953) 48-50, 24 (1954) 134 sq., 146 sq., 160.

93. Cf. PAL. LAT. n. 143: 24 (1954) 135 sq.

94. Cf. PAL. LAT. n. 145: 24 (1954) 176 sq.

95. Cf. RVFIN. apol. adv. Hier. 2,23,13 (CChL 20,99) studium, quod illi posuerunt in eruditione saecularium litterarum.

96. Cf. HIER. epist. 73,7,1 sq. (CSEL 55, 20, 13-18) Salem autem non, ut Josephus et nostrorum omnes arbitrantur, esse Hierusalem, nomen ex Graeco Hebraeoque compositum, quod absurdum esse peregrinae lingua mixtura demonstrat, sed oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem. Et ostentatur ibi palatium Melchisedech ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam. RVFIN. apol. adv. Hier. 2,25,6 (CChL 20,101) interdum linguae peregrinae quaerit auxilia. 1,16,51 sq. (p. 50) cum in alteram linguam vel proprie vel minus proprie aliena verba vertuntur.

97. Cf. PAL. LAT. n. 145: 24 (1954) 178.

epistulis⁹⁸ repetit discutiendam⁹⁹. Iisdem mensibus cum Avenario de quibusdam utensilibus electricis latine denominandis deliberat, velut de mergulo coctorio sive calefactorio¹⁰⁰, quod instrumentum Hamletus Tondini, moderator commentariorum LATINITATIS, dicit guttum¹⁰¹ electrico fluctu tepefactum¹⁰².

Novissimis autem annis interdum molestissime tulit, quod quidam non raro vocabula confingere viderentur, quasi quaedam res ab aliis nondum essent laboriose tractatae¹⁰³. Similiter gravissime monuit, ne nomina saeculo amplius scriptoribus praestantibus usitata ad aliam significationem detorquerentur. Speciatim autem scripsit¹⁰⁴ non licere voci fistulae fumariae notionem novam subicere, quasi non jam id sit, quod hodie a quibusdam fumisugium dicitur vel infundibulum¹⁰⁵.

In epistulā autem a. d. V Kalendas Novembres anni 1954 Lebaco datā, praeterquam quod genera quaedam potionum alcoholicarum¹⁰⁶ et ludorum ludicrorum latine denominanda suscipit, suam sententiam, qua de condicionibus linguae latinae simpliciter iudicat, his verbis aperit: «Alii aliter» inquit «de ... negotio [*sermonis vere latini dijudicandi*] sentiant, mihi constat, si locum, quem habuit sermo latinus, recepturus sit, angustis aureae aetatis terminis eam (= Latinitatem)

98. Cf. PAL. LAT. nn. 147-149: 24 (1954) 204 sq., 230 sq., 25 (1955) 39 sq.

99. Cf. ThLL V 1 1374,67 sqq.: (discutere) *i. q. cogitatione perlustrare, percurrere, quaerere ab aliquo*.

100. Cf. PAL. LAT. nn. 146, 150: 24 (1954) 194 sq., 25 (1955) 100-105.

101. Cf. ThLL VI 2 2378,11 sqq.: *gūtus, -ī m. scribitur per unam t, graece γούτος, gutt- testibus bonis omnino caret [it. gotto, port. goto]*.

102. LATINIT. 13 (1965) 16 (adn. 24).

103. Cf. PAL. LAT. n. 130: 21 (1951) 111 sq. et LATINIT. 10 (1962) 293-296: *Novarum rerum nova latina vocabula (Tondini)*. 12 (1964) 15-23: *De taberna chartaria omni supellectile instructa atque ornata (Tondini)*. Cf. VOC. LAT. 1966/1, p. 22.

104. epistula die 12 m. Nov. 1965 data. In ultima autem epistula Mergenthemio die 25 m. Nov. data nomine 'trunculi fumifici' id latine reddidit, quod est Germanis 'Stumpfen', de quo vocabulo rei tabacinae lexica mea romanica frustra consului. Ceterum ibidem rescripsit sibi placere, quod rem rogatus die 16 m. Nov. ejusdem anni proposueram. Scripserat enim ambulans se Mergenthemii cottidie titulum quendam legisse his verbis comprehensum: «*Ambros Greiner Hoch- und Tiefbau*». Haec verba latine sonant: *Ambrosius Greiner, architectus structurarum et erectarum et depressarum*.

105. Cf. VIT. LAT. n. 25 (m. Sept. 1965), p. 15 (*Mir*); BACCI: *Lexicon vocabulorum quae difficilius latine redduntur*⁴, Romae 1963, p. 569 sq.

106. Cr. AAS 45 (1953) 22: *exceptis alcoholicis (potibus, potionibus) ... exclusis alcoholicis (bis)*, p. 23: *potus alcoholicos ... ceteros potus non alcoholicos (Pius XII)*. — 49 (1957) 177: *potum non alcoholicum*, p. 178: *potum alcoholicum ... potum non alcoholicum (bis)* (PIUS XII). Cf. PAL. LAT. n. 163: 28 (1958) 411, cf. *ibidem* p. 410, adn. VIT. LAT. n. 8 (Sept. 1959), p. 37-39 (MANGEOT); n. 25 (Sept. 1965), p. 24 sq. (MANGEOT). BACCI, *Lexicon*⁴, p. 41.

coartandam non esse, neque sic quicquam puto ejus majestati aut gravitati aut puritati detrahi ¹⁰⁷».

Paulo post praeter pauca nomina generis varii, ut rei electricae, confitetur haec: «P. Avenario auctore in eam paulatim deductus sum sententiam, ut linguam hisce ipsis temporibus putarem inter viros doctos ad omnis generis res exprimendas adeo valere posse, ut ipse initio cunctabundus et temptabundus, tum, crescente audacia, vel de hujus aetatis rebus scribere coeperim, in qua re interdum mihi esse videbar corvus inter cycnos crocitanus ¹⁰⁸, ita lectores oro obtestorque, ut legant labore improbo antiquos, medios, novicios versentque lexica manu nocturna manumque diurna ¹⁰⁹ et ac ratione illum ducant latinitatis spiritum, quem Avenarius noster efflagitat crebris precibus ¹¹⁰».

Has qui sententias dixit ¹¹¹, nihil antiquius habuit, quam ut latinitatis facem praeferret ¹¹². Idem Josephum Mirum, amicum suum, eo animi ardore, quo rem linguae latinae pugnaciter proferebat propagabat propugnabat, a censuris, quas Johannes Coppa nimis aspere egit ¹¹³, vehementer defendebat ¹¹⁴. Postulavit autem, ut, si verba ¹¹⁵

107. PAL. LAT. n. 149: 25 (1955) 40. — Hoc loco de verborum delectu tantum agi videtur, non de rationibus grammaticis. — Cf. GELL. 5,21,11 in ea epistula *Sinnius Capito* rationes grammaticas posuit, per quas docet *eqs.* (ThLL VI 2 2171,5).

108. Cf. RVFIN. apol. adv. Hier. 2,25,33 (CChL 20,101) cum a sinistro *ōscinem* corvum audiam crocitantem. — Cf. ThLL IV 1213,44 sq.: *crōcītāre*.

109. Cf. HOR. ars 269 vos exemplaria Graeca nocturna versate manu, versate diurna. — Similis locus, quem in epistulis Hieronymianis inveneram, mihi excidit.

110. PAL. LAT. n. 150: 25 (1955) 103 sq., cf. n. 149: 25 (1955) 46. — Cf. LATINIT. 2 (1954) 83-93: *Communis omnium doctorum sermo Latinus esto (TONDINI)*. PAL. LAT. n. 168: 29 (1959) 189-202: *Latina lingua communis sit inter doctos homines (JIMÉNEZ DELGADO)*; cf. *ibidem*: n. 156: 26 (1956) 193-202, n. 158: 27 (1957) 61-71: *Lingua latina iterum universalis deveniat oportet (Jiménez Delgado)*. n. 170: 30 (1960) 94-96: *Plura de latina lingua inter doctos communi (Beach)*. — Josephus Jiménez Delgado: *Latinus sermo inter doctos homines communis est habendus, in actis conventus Lugdunensis* [1959], p. 68-84. — Cf. VOC. LAT. n. 2 (m. Oct. 1965), p. 3-5: *De necessitate scientiae linguae Latinae (EICHENSEER)*.

111. Cf. AVG. in euang. Joh. 38,2,22 (CChL 36,339) *Praenuntiavit ergo illis Dominus dixitque sententiam praescius*. RVFIN. apol. adv. Hier. 1,40,5 sq. (CChL 20,74) *sententias ... ab eo dictas frequenter ostenderim*.

112. Cf. PAL. LAT. n. 149: 25 (1955) 40: *Nonne facem praetulisti tuo jure? Arripiamus proinde facem forti animo in conventu Avennionensi incensam et tollamus in altum, ut flamma fiat, quae omnibus prae luceat, adhuc dubiis, qua via sit incedendum (acta conventus Lugdunensis* [1959], p. 137). — Haec verba magnetophonice conservata sunt. — Cf. ThLL VI 1 405,16-23: *facem praeferre*. PETRON. 26,1 (edd. Müller-Ehlers, Monaci 1965, p. 46).

113. Cf. LATINIT. 3 (1955) 148-152.

114. Cf. PAL. LAT. n. 151: 25 (1955) 144 sq.: *Censoribus respondetur; cf. ibidem* p. 156-163 (AVENARIUS).

nove ficta notis censoriis improbarentur, censores curarent, ut in locum vocabulorum rectorum meliora substituerentur eademque latiora.

Idem anni 1955 mense Decembri quaestiones quasdam solvendas suscipit notiones recentiores artis musicae et pictoriae et philosophiae et psychologiae latine reddere aggressus. Quales affectiones animi sensusque mentis dictionesque doctrinales diligenter subtiliterque recognoscantur necesse est, cum difficulter tales res verbis latinis exprimantur. Porro eodem loco ille id instrumentum exploratorium, quod Antonius Bacci, Pater Cardinalis ille Romanus, dicit radioelectricum instrumentum praemonitorium¹¹⁶, paucis retractat proponitque nomen *tēlēmētrī radioēlectrici*¹¹⁷.

Paulo post epistolā Kalendis Aprilibus, i. e. die dominico Paschātis, anno 1956 *Lebācō datā* de trūtinae genere quodam agit, quod propter similitudinem pontis, in cuius superficiem librilem curus voluti imponuntur pendendi, *stātēram pēnsilem* dicit vel *pōntilem*¹¹⁸.

Scrīpsit autem a. d. XIII Kal. Majas anno 1957 epistolam Sara Ludovici datam, qua nonnulla nomina novata, quae Avenarius proposuerat, prudenter sive perstrinxit sive pertractavit. Ibi genus quoddam acūs fibulatoriae hodie multum usitatae describit latineque denominat, deinde trāminis ferriviarii nomen aliaque vocabula variarum rerum, ut tintinnabuli electrici, tangit, denique rei nummariae negotiique pecuniarii nomina quaedam partim de suo partim de alieno affert¹¹⁹.

Eodem anno exeunte de taeniludii¹²⁰ principio, propagatione, praecipit praestantiaque copiose egit¹²¹. Anno post¹²² subtilitate simili de clusura trāctilī scrīpsit, quam clausuram fulmineam dixit¹²³. Denique biennio post, cum esset hauriendi¹²⁴ fumi *tābācēī* amantissimus, ul-

115. Cf. SERV. Aen. 3,384 nove verbum fictum. CIC. fin. 4,7 nova verba fingunt; cf. ThLL VI 1 774,14-44.

116. Cf. LATINIT. 3 (1955) 169 sq.: Res novae nova nomina postulant (*Bacci*). BACCI, *Lexicon*⁴, p. 624.

117. Cf. PAL. LAT. n. 152: 25 (1955) 233. — Ceterum illud instrumentum breviter fortasse dici potest *'rādīōtēlēmētrūm'*.

118. Cf. PAL. LAT. n. 154: 26 (1956) 98 sq., cf. *ibidem* p. 100 sq.

119. Cf. PAL. LAT. n. 158: 27 (1957) 91-94; vide p. 92: *clavulus muscarius*, et confer SOC. LAT. 11 (1943) 31: *clavos muscarios* (i. e. clavos retundibiles sive obtundibiles). Ergo hic sensus alius est. — Cf. PAL. LAT. n. 158, p. 90 sq. (AVENARIUS), p. 94 sq. (P. MIR).

120. *taenilūdīūm*, *-ī n.* = *tenis, ténis, tennis, Tennis*.

121. Cf. PAL. LAT. n. 160: 27 (1957) 217-225: De taeniludio.

122. Cf. ThLL II 117,65-69.

123. Cf. PAL. LAT. n. 164: 28 (1958) 466-468.

124. Cf. ThLL VI 3 2570,23-48: (haurire) *i. q. ore vel naribus āerem, odorem, fumum sim. recipere*.

timum fusius de tabacō et speciebus utensilibusque rei tabacinae non solum egit, verum etiam vocabularium quoddam composuit ¹²⁵.

Item anno 1960 primum atque ultimum in commentariis Avennicis, qui inscribuntur VITA LATINA, commentum ¹²⁶ quoddam evulgavit, quo, quae tum sermone hominum revolvebantur, lepidissime descripsit ¹²⁷. Haec ut commentaretur, Eduardus Théodore-Aubanel, editor illorum commentariorum periodicorum et tum moderator, eum adduxit. Nam occasione data conventūs Lugdunensis anno ante celebrati amicitiam cum illo conjunxerat, quam quadriennio post in conventu Argentoratensi (seu Strateburgensi) feliciter renovavit. In horum conventuum consessibus colloquiisque multorum animos verbis affabilitatis gravitatisque sibi conciliavit, quamvis multorum praesentium inscientiam sermonis latini etiam atque etiam lamentatus esset. Lugduni autem Josephum Mariam Mir Tristany, patrem perquam reverendum eundemque virum vere doctum, quocum ei jam per complures annos epistularum consuetudo ¹²⁸ fuerat, primum coram convēnit ¹²⁹. Ibidem post illum ad congregatos cōtiōnāns cum alia dixit tum haec: «Auctor sum atque suasor, ut omnes, qui proximo conventui adesse et operam sociam praestare cogitabunt, conceptis verbis jubeantur, uti orator hujus sessiunculae ¹³⁰ magnis causis allatis et varietate exemplorum propositā postulavit, unam adhibere linguam et in contionibus publicis et (in) colloquiis privatis, scilicet latinam. Sic me tenet spes certissima fore, ut tandem evanescat babelica illa linguarum confusio. Vos autem, auditores spectatissimi, oro obtestorque, ut in eandem descendatis sententiam. Nam ubi voluntas, ibi via. Dixi ¹³¹». Similem sententiam, qua monuerat, ut confusio Babylonia ¹³² devitaretur, jam anno 1943 protulerat ¹³³, cum rationem verborum novandorum adumbraret.

125. Cf. PAL. LAT. n. 171: 30 (1960) 155-161; cf. *ibidem* p. 154 sq., 161-168: Parvum lexicon de tabaco (P. MIR). VIT. LAT. n. 25 (Sept. 1965), p. 10-18: Nonnulla verba quae ad tabacū referuntur (MIR).

126. Cf. ThLL III 1867,35-45: (commentum) *speciatim ... i. q. scriptum, liber, oratio*.

127. Cf. VIT. LAT. n. 10 (Mai 1960), p. 7-14: Quibus de rebus Germani sermocinentur.

128. Cf. CIC. epist. 4,13,1 consuetudinem epistularum (ThLL IV 554,46).

129. Cf. PAL. LAT. n. 171: 30 (1960) 155, *circa mediam paginam*.

130. Josephus Jiménez Delgado, professor reverendus.

131. Cf. acta conventus Lugdunensis, p. 137. Textus ibi typis descriptus paulum differt a verbis in taeniam sonigeram receptis. — Cf. PAL. LAT. n. 151: 25 (1955) 145. Ubi voluntas, ibi, cogito, etiam via. Collatis viribus attingemus metar: nobilissimam.

132. Cf. ThLL II 268,59-62.

133. Cf. RVFIN. apol. adv. Hier. 1,30,20 (CChL 20,65) sub aliena persona suam sententiam proferunt. — CONC. Arel. I (a. 317) pr. 19 (CChL 148,4) quia in eos severior fuisset sententia prolata.

Etenim ait: «Equidem semper teneo nomina tantum novanda esse, si antiquum vocabulum non suppetat. Scilicet hoc tantum tum accidit, quando res ipsa, quae nominanda est, antiquis ignota fuit. In ceteris casibus novas voces fingere meo humili iudicio est confusionis Babelicae inferre causam. Quod deus optimus maximus averruncet! Ejusmodi enim novationibus motui neolatino non afferimus momenta nova, immo vero ejus cursum praeccludimus et ultro irrisioni sumus eis, qui a nostra re alieni sunt. Si vero antiqua nomina praesto non sunt, latinae linguae defectum expleat Graecorum ubertas, opitulentur sermones romanici, qui veteris Romanorum linguae quasi vicarii sunt et successores¹³⁴».

Post annum autem 1960 officiis negotiisque plurimis districtus impediabatur, quominus latine commentaretur. Sed ejus epistula gratulatoria, qua Josepho Mariae Mir Tristany quinque lustra sacerdotii suscepti completa celebranti sensus animi significavit, cunctis documento est, quanta teneritate mentis alios observaverit. Nam ibi cum alia tum haec scribit: «Libet honoribus prosequi et colere modestum sacerdotem, quem primum quidem vereri didici acerrimum latinitatis propugnatorem. Attamen non virum linguae latinae studiosissimum hodie in aliquo numero gestio, sed sacerdoti placido i. e. homini, quem numen ipsum divinum peculiari quodam afflatu et instinctu ad magnum ministerium vocavit, ut Christi exemplum exprimens quodam modo fieret hostia pro hominum peccatis, huic igitur officium debitum pio memorique animo facere cupio simulque Deo Opt. Max. gratias agere pro omnibus beneficiis, quae Ille sacerdotali tua opera usus per XXV annos periculi plenos operatus est. Magna sane res atque digna quae decore et graviter celebretur.»¹³⁵ His verbis religiosis series scriptiuncularumque in commentariis PALAESTRAE LATINAE divulgatarum finitur.

Tamen ille, qui in scholis permultos pueros adulescentesque linguam latinam singulari gravitate peritiaque paedagōgātūs¹³⁶ docebat, summo studio suam scientiam dilatare porrexit et non raro res rogatus cum aliis consilia consulta commodaque communicare¹³⁷. Quo factum est, ut novos quoque commentarios illos periodicos, quibus VOX LATINA index est, laudibus et symbolis¹³⁸ confoveret. Condidit

134. SOC. LAT. 11 (1943) 30 sq.

135. PAL. LAT. n. 175-176: 31 (1961) 189 (sq.).

136. Cf. TERT. adv. Val. 13,1,11 (CChL 2,764) Continet hic igitur ordo primus ... Christi et Spiritus Sancti paedagogatum.

137. Cf. VIT. LAT. n. 22 (m. Julio 1964), p. 111, adm. 60. Cf. commentariolorum meorum adnotationes ibi et alibi deinceps vulgatorum. Cf. EICHENSEER: *De lacu Brigantino congelato*, Constantiae [Konstanz] anno 1965, p. 108 (index hominum commemoratorum). Nonnulla nomina ibi usurpata mihi telephonice interrogatus indicavit (7 XII 1964).

138. Cf. LATINIT. 13 (1965) 122-126: De vocabulo *symbolae* (EICHENSEER).

enim sive solus sive sociato labore duos indices, quorum alter constat vocabulis rei vehiculariae, alter verbis rei cursualis ¹³⁹. Qui quidem jam morbo letali correptus etiam illum Cappellani libellum, quem dudum exspectaverat, recensuit et dilaudavit ¹⁴⁰.

Idem ultimis annis animo suspenso consultationes concilii Vaticani secundi (1962-1965) persecutus litteras encyclicas Summi Pontificis Romani sedulo perlegebat aliaque scripta in actis apostolicae sedis vulgata. Multum autem sacram liturgiā innovandam condicionibusque populorum magis aptandam usque ad extremum ¹⁴¹ curabat. Tamen hujus rei novamina ¹⁴² temptaminaque quaedam antiquae traditioni venerabili parum consona continenter insolabili ¹⁴³ pectore conquestus est ¹⁴⁴.

His curis communibus similibusque sollicitudinibus affectus morbique marcore confectus is lumina clausit, qui sua probitate diligentiaque cunctos benevolentia non mediocri prosequeretur, collegas collegialiter colebat, juniores more paterno diligebat, discipulos numero

139. Cf. VOC. LAT. n. 1 (m. Jul. 1965), p. 57-60: Vehicula (naves, tramīna, autocinēta, aëroplāna). n. 3 (= 1966/1, m. Jan.), p. 62 sq.: Res tabellaria (cursus publicus, telephōnum, telegrāphum).

140. Cf. VOC. LAT. 1966/1, p. 77 et 65 (*per errorem ibi paginae 65^a et 78^a inter se permutatae sunt*).

141. Cf. CIC. Rab. Post. 5. Phil. 2,75 usque ad extremum (ThLL V 2 2006,34 sq.: [extremum] *sensu temporali*).

142. Cf. TERT. adv. Marc. 1,20,4,17 (CChL 1,461) renovate vobis novamen novum (VVLG. novate vobis novale). 4,1,6,14 (p. 546). 4,11,9,21 (p. 567) novate vobis novamen novum.

143. Cf. ThLL VII 1 1928,52-54.

144. Certe maximopere gavisus esset, si legisset, quae nuper in ephemeride Rottenburgensi catholicorum divulgata sunt. Ibi quidam scripsit haec (*die 16 m. Jan. a. 1966, p. 14*): «Caveant episcopi, etiam Tu, reverentissimus episcopus Rottenburgensis, ne quid detrimenti capiat sancta ecclesia Dei!» P. S. (= *post-scriptum*): Oratio mea privata est: «Redae nobis, Domine, canticum Gregorianum et linguam latinam!». Cf. ephemeridem *Mercurii Rhenani* (i. e. *Rheinischer Merkur* [feria sexta, die 4 m. Febr. 1966, p. 16]): Laurentius Weinrich, professor liberae studiorum Universitatis Berolinensis: De motu quodam laicorum linguam latinam defendentium (*Eine Laienbewegung für Latein*). Cf. ecclesiasticum ministerium speciale nuntiorum perferendorum (i. e. *Kirchliche Nachrichtenagentur, Sonderdienst*), n. 34 (feria quarta, die 28 m. Julii a. 1965), p. 1: De societate quadam ex VNA VOCE nuncupata. Cf. paginas Algoicas nuntiorum (i. e. *Allgäuer Anzeigblatt*), ann. 106 / n. 173 (feria VI, die 30 m. Julii a. 1965): De sermone latino in missa commode servando («Una Voce» für Latein in der Messe). Cf. acta diurna populi Badensis (i. e. *Badische Volkszeitung*) n. 31 (anni 1966), die 8 m. Febr. 1966: De liturgia Gregoriana salutariter servanda (*Die Gregorianische Liturgie erhalten*). Ibi viri quidam artificesque celeberrimi Paulo VI, Summo Pontifici Romano, preces obtulisse nuntiantur, quibus de liturgia Gregoriana eademque Latina saltem condicionibus quibusdam necessario servanda rogabatur.

mille octingentos caritate complectebatur et amanuensem ¹⁴⁵ et feminas purgatrices et atriensem ¹⁴⁶ et fornacatorem ¹⁴⁷. Nam postremo principabatur tribus scholis Saraludovicensibus, gymnasio humanistico ¹⁴⁸ circiter quingentorum discipulorum, gymnasio reali nongentorum fere discipulorum, denique gymnasio postelementario ¹⁴⁹, ut ita dicam, aliquorum quadringentorum discipulorum. Idem spebus contra spem ¹⁵⁰ conceptis ratione vitae verbisque doctrinae persuasionis prospicientiae praeparavit viam ¹⁵¹ multimodis monstratam, quam ingressi perpetuoque progressi cum omnium salute renovare usum linguae latinae multipliciter temporum necessitatibus condicionibusque commendatum mirabiliterque cum bonis pacis progressionis religionisque conjunctum ¹⁵².

P. CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.
 Ex Archiabbatia Ottiliensi in Germania
 (St. Ottilien, Postl. 8917).

145. āmanuēnsis *m. et f.*: ThLL I 1812,58-71. — *Sekretärin*.

146. ThLL II 1099,65 sqq.: ātriēnsis — *Hausmeister*.

147. Cf. ThLL VI 1 1117,84 sqq.: fornācātor, -ōris *m.* — cf. *ibidem*: 1117,80-83: fornācārius, -a, -um. — *Heizer*.

148. Cf. *Pontificium Institutum Altioris Latinitatis*, Romae 1964, p. 32: *Litterae Latinae humanisticae*; cf. pp. 38 sq., p. 41 sq.

149. Hoc nomine id gymnasium cursūs sexennis dixi, quod, cum ludum literarium sequatur, fortasse convenienter appellatur *subsequum* sive *secutorium*, quod supra (cf. *adn.* 53) cognominavi 'impositicium'. Gymnasium vero cursūs non abbreviati novem annorum est.

150. Cf. VVLG. Rom. 4,18 qui (*Abraham*) contra spem in spem credit. — Cf. LIV. 9,23,17 cetera contra spem salva invenit. PLIN. paneg. 27,1 in spem.

151. Cf. VVLG. Mal. 3-1 et praeparabit viam.

152. Denique meum est officium, cui libentissimo animo satisfacio, Marianae Holzer, quae maritum amissum ineffabili maerore deplorat speque superna reperiendum expectat, gratias agere maximas, quod in vitae descriptae disquirendis temporibus numquam non libens me adjuvit, et Rudolfo Schmitt, studio- rum consiliario Sarludovicensi, gratiam referre multam, quod locos ALMAE ROMAE locosque PALAESTRAE LATINAE (usque ad annum 1955 completum) collegit mihi benigne commodatos.

IN MEMORIAM JOSEPHI HOLZERII EPISTULA

Jos. M. Mir, C. M. F., Patri Rev. Mariano Molinae, Moderatori
et sociis *Palaestrae Latinae* sal. et pac. in Dno.

Non dubito quin meas exspectes litteras et scripta quae ad desideratum nobis Rectorem Saraludovicensem Jos. Holzerium referantur.

Tamen, quae P. Caelestis copiosa et luculenta oratione scripsit, jam pridem ad te misi; ac nuper eundem rogavi Patrem amicumque diligentissimum ut, si quam ab uxore Josephi assequi posset photographiam, ad te mitteret quae in *Palaestra Latina* vulgaretur.

Cum autem P. Caelestis vitae Holzerii contexuerit summam atque nostrae mutuae voluntatis —cum Holzerio dico— nostrique communis studii in lingua latina excolenda totum aperuerit curriculum, pauca in praesentia mihi restant quae addam, praesertim cum et aliis distinear scholasticis occupationibus et, quae de caro amico sentiam, contracta oratione ad eundem P. Caelestem rettulerim iis epistulis quas, si tibi ita visum fuerit, Commentariorum sociis legendas praebere poteris.

Quae tamen ibi scripsi, ut paucis compleam, de ejus in Deum pio, in liberos amanti, in alumnos sollicito, in nos semper benevolo animo, recolant, quaeso, nobiscum lectores primas ad nos missas epistulas quibus gaudium laetitiamque expromit quam expertus est cum *Palaestram Latinam* primum in manibus habuit eamque libentissimo legit animo — sua ipsius oratione latina legant, quo et exemplum novae latinitatis fruentur—:

«Jam accipe, qua ratione tres fasciculi PALAESTRAE LATINAE mihi redditi sint. Sedeo in officio gymnasii ad mensam scriptoriam officialibus litteris nomen subscribens, ut ad diem certam destinatum attingant. Subito sonat telephonium. Admoveo auditoriam concham auri. «Adsum director gymnasii. Quis adest?», interrogo telephonium.—«Celeriter, celeriter huc ades! Advenit una aliqua te salutatura ex terra longinqua». Nuntiavit uxor mea scite dilecta. Repono in furcula vocis receptorem. Statim magnis passibus peto habitationem privatam in eodem gymnasii aedificio sitam. Gravibus defixus in cogitationibus propero ad penates, plane incertus, quae me visura sit femina, sed animo praesagiens magnum aliquid mihi accidisse. Sic intro vestibulum. Coram adstat mea uxor cavillantis more subridens manibus post tergum replicatis. «Quis advenit?», interrogo.—«Tibi ostendo et offero, inquit..., PALAESTRAM LATINAM». Arri-

pio, agito manibus thesaurum, depono corporis mei pondus in cathedra molli, quae in vestibulo posita est. «Gratia superis!». Nihil ultra profero, jam totus in nominibus et moderatoris et administratoris interpretandis. Percurro oculis, quae typis mandavisti nov. decembrique anni praeteriti, perlego, quae jan. februarioque atque martio et aprili excudenda curavisti. Atque raptus lectione PALAESTRAE LATINAE non sensi fumisugium —scito me fumandi cupidissimum esse— tabaco consumpto jam diu friguisset, id quod mihi raro accidit. Sed est indicium meum animum ephemeride, cui moderaris, jucunda captum in altero versatum esse veluti mundo. Hora circumacta pedem in officium gymnasii rettuli animo elato et hilari munia directoris post festivam intercapedinem toleraturus» (PAL. LAT., 21 (1951) 75-76.

Qua vero sollicitudine situm sedis nostrae Barbastrensis investigaverit, ibidem ita enarrat: «Post meridiem studium PALAESTRAE LATINAE tuae scholasticis laboribus intermissum revocavi. Primum determinavi situm Barbastri. Consulta Claudii Ptolemaei Geographia lib. II, c. 6, p. 67 inveni Barbastrum esse idem, quod Bergidum... Positum esse ad laevam ripam Veri fluvii, qui in Cingam flumen incidit. Situ sedis tuae veluti expiscato accuratiori lectioni fasciculorum, quos benigne misisti, maxima diligentia incubui, et animum praeprimis in dicendi genus, quo in concinanda ephemeride usus es, intendi. Ingenio in laetitiam vocato ingenue meum de PALAESTRA LATINA iudicium sic pronuntio: Omne punctum tulisti, qui miscueris utile dulci. Latinitas pura, facile fluens, volubilis, auream inter extrema persequens mediocritatem, cum iudicio adhibita. Laudo, laudo tuam sollertiam. Macte virtute tua! Id unum doleo, quod non inde ab illustri tua ephemeride condita ilico tecum, doctissime vir, rationes conserui et hoc demum anno viam ad PALAESTRAM LATINAM nactus sum. Ne quaeramur de praeteritis! Laetemur de iis, quae auspiciato data sunt nobis praesentia».

Deinde —in alia epistula, cfr. PAL. LAT., 21 (1951) 91— et «dulcissimae pacis cogitationes effulgere» vehementer optat et clarissimos e Germania aliisque e gentibus viros, qui toti in rem latinam incubuerant, memorat, et *Societatem Latinam* —naviculam tempestate jactatam— in tutum portum qui suscipiat regendam neminem reperiri lugeat [—paucis re vera post annis et *Societas* extincta est et ejusdem Commentarii edi desiti sunt—], cumque tunc nondum *Latinitas* prodierat Vaticana, maerens conqueritur: «Morte illorum doctorum maxima illata damna sunt rei latinae. Et quod pessimum est perpauci inveniuntur, qui illorum vestigiis insistentes pro latinitate his temporibus adaptanda et restauranda propugnare parati sint. Videor mihi interdum stare in nave, quae jamjam mergatur fluctibus tempestatis. Attamen quamvis parva manus simus, artius conscrentes latus lateri

omnem intendere debemus et volumus operam atque industriam, ut ex ruinis laetius reflorescat *communis res nostra Latina*. Omnem spem pono in vobis Hispanis et in vestra illustri scriptura periodica».

Postea de multis investigat et interrogat novis verbis, de quibus et cum P. Avenario et mecum libenter egit (cfr. PAL. LAT., *Ibid.*, p. 91, 111, 133 sqq.). In hac vero provincia —de renovando lexico latino— tota sua aetate indefessus exstitit verborum conquisitor et fabricator; cujus sententia plerumque cum nostra consentiebat nisi quod interdum in quibusdam novandis audacior fuit, ut cum in *Societate Latina* nomina de *Gymnicis* proposuit adhibenda (cfr. SOC. LAT., 6 (1938) 19-24), in quibus tamen multa sunt optime excogitata.

In is aliisque quam plurimis locis ac de lexico disputationibus, ejus sagax, impigrum veloxque ingenium apparet atque aperitur et maxima illa quam de lexico classico et posteriore cognitionem et scientiam habebat, suoque labore linguam latinam ad nova parienda vocabula —cum opus est et prudenter sollerterque fit—, nostra adhuc aetate instructum paratumque esse confirmatur. Qua vero ornatus erat scientia et rerum notitia, de iis quae nos parum callebamus —ut de tabaco— nonnumquam peramice admonuit atque nostra emendavit.

Taedium legentibus afferre nolo, sed ut in omnium nostrum mente perpetua maneat tanti viri memoria, pagellam prodam ab eo conscriptam, qua coronam semperfloriis contextam sibi ipse componat, quaeque suo funeri dicetur atque imponatur: «Exeunte mense septembri, ineunte octobri —quo ipso die res facta esset, e memoria excidit— cum, postquam sacris adfui, paulisper ante domum deambulabam, subito coram adstitit tabellarius. Praeter epistulas tum officii cum amicorum foliumque diurnum tradit ille cursualem sarcinulam, pro qua portorii loco XXXV francos exegit. Jam e pittaciis cursorii cognovi inesse PALAESTRAE LATINAE collectionem. Inde factum est, ut summulam illam perlibenter perpenderim. Neque porro mirum, quod pectore prominente laetus pedes domum rettuli. Studiorum autem ingressus zothecculam solvi funiculos, quibus cursualis fascis circumligatus erat. Qua re finita jam defixus eram in lectione. Legebam, atque legebam uno tenore PALAESTRAE LATINAE numeros inde a quinquagesimo tertio ad centesimum quartum. Nunc tandem praecipua saltem Divi Antonii Clareti vitae capita pergustavi animo piis affecto motibus. Frustra antea vitas pervolutavi sanctorum, quales in popelli christiani usum edi solent. Frustra in hac re adii theologos, frustra consultaveram Encyclopaediam Herderianam. Quae Herderianum lexicon Ecclesiasticum de Sto. Antonio habet, ea magis incohatam exhibent imaginem quam absolutam. Sed per PALAESTRAM vestram e caligine ignorantiae in lucem quandam respirare coepi. Nonne videtur nostro Pio XII praemonstrator fuisse in devo-

tionem immaculato Cordi Divae Matris exhibenda? Humano genere —eheu— afflicto aerumnis ac discordiis discisso immaculato Cordi Divae Mariae consecrato nonne rerum conclusus est circulus? O, mi Miri, attentae sunt mihi aures ad ejusmodi res, patet cor inquietum, ut paululum requiescat. Sed quandoquidem e fasciculis PALAESTRAE vestrae mihi exspectatissimis percepi vestrae missionalis Congregationis Patrem legiferum Divorum caelitem albo esse adscriptum atque ejusdem Congregationis ante viginti lustra conditae a vobis recte et jure acta esse sacra anniversaria, profecto meum quoque est debitum, etsi post festum venio, de his summi momenti rebus vobis congratulari. Floreat igitur vigetque tanto opitulante in caelis patrono nuper ad altarium evecto fastigium coetus Claretianus in aevum. Id unum optandum est, ut spiritus ille, quo Divus vestrae Congregationis pater erat afflatus, vitam hujus aevi politicam, socialem, conjugalem, oeconomicam pervadat. O, quam brevi tempore permutatus erit universus et rerum et hominum habitus et animus. Tum reapse constitutus erit Christi in terris regnum: «regnum veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum justitiae, amoris et pacis» (*praef. festi Christi regis*)» (cfr. PAL. LAT., 22 (1952) 155).

Quod ipse in terris degens tanto optavit desiderio et studio in superna nunc patria constitutus, sit ipse pius deprecator validusque apud Deum intercessor.

Roma, die 15 m. maji, anno 1966.

JOSEPHUS M. MIR, c. m. f.

In Instituto Altioris Latinitatis Professor

In Urbe Roma.

MAXIMA MARCILLAE GLORIA

Omnibus et singulis carissimis professoribus, commoiciis, discipulis ceterisque patribus et fratribus dilectissimis, qui in conventu Marcillae ante commorati sunt vel nunc temporis commorantur.

Campos Navarrae longe lateque patentes
fecundant undis flumina bina suis.
Historiae doctis Aragonia et Arga vocantur,
quaeque pater multum rivus Iberus amat.
Pinguis in planitie, lactum simulante virectum,
en Marcilla sedet, carmine digna meo.
Fructus hic sapidos, holera hic, jam nota per orbem,
laudibus extollet, cum semel ore probet.
Proxima ferriviae, domibus circumdata parvis,
ingens exurgit fabrica, dulce creans
saccharon. Ubertas sic multiplicatur agrorum,
municipes cunctos ut comitentur opes.
Non his divitiis umquam Marcilla superbit,
sed quae sunt animi pignora pluris habet.
Arx seu castellum, fossa quod cingitur alta,
praeteritae signum nobilitatis adest:
nam reliquas aedes excedit pondere honoris
et vincit veteres prosperitate domus.
Sacratum Domino templum miram pietatem
primaevi populi praedicat atque fidem.
Quod fuit ante, nova forma nunc amplius auctum
munifico sumptu, cuique videre licet.
Stat vetus in medio vico pulchrumque sacellum,
caelorum Dominae quod pietas et amor
sacrarunt: votis istinc precibusque, sereno
vultu subridens, Virgo Patrona favet.
Conventusque recens est ac novus Immaculatae
relligiosarum. Caerula vestis eis.
Hic doctae juvenes niveae virtutis odorem
spirant atque animi munera sponte ferunt.
Extra urbem princeps ac praeclarum monumentum
cernitur, quod numquam rodere tempus edax
aut potuit prius, aut poterit post dente vorare
mordaci. Mirum coenobium ecce tibi!
Num dubitas illud: "valles Bernardus amabat?".
Scito discipulos aedificasse Patris
Melliflui molem conventus dimidiatam
—hoc facile primo noveris intuitu—
totumque augustum templum, mirabile visu
perfecisse, quibus candida Virgo praeest.

Hi veneranda Dei meditantur mysteria: hymnos,
 Davidis psalmos, carmina, dulce melos,
 assidue recinunt: almae Christi Genetricis
 laudes eximias nocte dieque canunt.
 Ast eheu! longos post annos coenobium albis
 patribus orbatur. Cantica nulla sonant!
 Tum patria pulsos Marcilla viros revocare
 et multas caelo fundere maesta preces.
 Post aliquas brumas tandem lux fausta refulget,
 qua Marcilla novos suscipit ipsa patres.
 Corrigia lumbos praecincli vesteque nigra
 induti incedunt. Pectore fervet amor
 sedulus: elucens rutilat sapientia mente.
 Ut Fundatoris regula sancta docet,
 una anima in Domino est et cor omnibus unum.
 Divi Augustini spiritus inter eos.
 Relligiosi sunt, populus quos nuncupat una
 voce Recollectos tempus in omne pios.
 Deque Philippinis veniunt, quo transtulit ante
 sollicitus verae relligionis amor.
 Pompa sollempni comitati progrediuntur:
 ad clausas templi coenobiique fores
 demum consistunt. Procerum tum maximus illos
 promissis donat clavibus imperii.
 Ilico festivis mulcetur plausibus aether.
 Ex gemina turri pendula, muta diu!,
 aera simul resonant. Omnis Marcilla resultat
 gaudens. Ex imo pectore, grata Deo
 et populo, patres dant verba et carmina dicunt.
 Cunctorum laetus fertur ad astra sonus.
 Felix ista dies, insculpi marmore digna,
 centum post annos, non memoranda mihi?
 Zelus apostolicus patrum praecordia torquet,
 qui innumeras animas inseruere Dei
 regno. Evangelii praecones mittere quaerunt
 trans mare et asciscunt, qui instituantur ibi
 sacri curriculi studiis. Hi denique soli
 presbyteri fient, quos Deus ipse vocat.
 Istorum juvenum numero crescente, vetustum
 conventum renovant funditus atque struunt,
 quae deerat, partem. Videas quantus labor illis
 hoc donec totum perficeretur opus!
 Hunc ego conventum miror patrumque labores
 respiciens Dominum glorificare velim.
 Istos qui legitis versus nunc pectore grato
 unanimi mecum magnificate Deum.

Ad te hodie, veneranda domus, cum lumina verto,
ustus amore tui, carmina grata dico.
Numquam lingua tuos aequae cantabit honores,
te quamvis compto carmine in astra ferat.
Sancta Recollectorum o centenaria sedes,
quot turelis fructus dicere nemo potest.
Sancta Recollectorum o centenaria sedes,
quisque Recollectus sit memor usque tui.
Sancta Recollectorum o centenaria sedes,
pronus humi muris oscula figo tuis.
Sancta Recollectorum o centenaria sedes,
incola Marcillae nunc tibi gratus adest.
Cara Recollectis o centenaria sedes,
dicatur toto nomen in orbe tuum.
Cara Recollectis o centenaria sedes,
carmine tu vivas tempus in omne meo.
Cara Recollectis o centenaria sedes,
maxima Marcillae gloria semper eris!

FR. EUSTASIUS J. MARTÍN A V. DE COLUMNA, O. R. S. A.
Lucronii (Logroño), Idibus Sept. ann. MCMLXV.
(Padres Agustinos Recoletos, Logroño, España).

DE CORDUBENSI PHILOSOPHO

Seneca, clarus ille Cordubensis auctor, qui in philosophiae studium incubuit nec non poeticam artem excoluit, suae aetatis hominibus miros praebens ingenii foetus et optima vitae praecepta, quibus usi, recte atque honeste, philosophia duce ac magistra, illi vivere possent (nam libri viginti qui «Ad Lucilium epistulae» inscribuntur, ut uno exemplo utar, egregium opus habentur, quippe qui ad beate vivendum perducant optimumque ad honestatis iter obeundum atque ad effugienda vitia exemplar mirum in modum ostendant), maximus jure meritoque existimari solet omnium qui in latinis litteris vetera non solum in rebus ad mentis cogitata tum etiam ad dicendi genus pertinentibus permutare cupierint. Novator enim fuit et, si fieri potest ut hoc verbum adhibeam, rerum novarum studiosum se praebuit quandoquidem in se vehementer animadvertit aliquid novi requirendum atque ea quae praeterito tempore adhaerent esse renovanda.

Aetas qua Seneca vixit rebusque politicis consuluit (praeterire non possumus quin memoremus philosophum Neronis ministrum ac suasorem per complures annos fuisse deindeque, grassante Caesaris, Agrippinae matris interfectoris, animi nimia acerbitate, amotum Pisonisque conjuratione patefacta, ut Cornelius Tacitus in XV Annalium libro enarrat, mortem, et venas ferro secando et per vaporem, sibi consciscere esse coactum), multum discrepat ab annis quibus operam navaverant homines qui, libertate fructi, ex rostris proeliaverant atque effecerant ut omnia claram in civium jure defendendo eorum vocem resonarent.

Concinna Ciceronis verba vexillum fuerant certaminis inter factiones et in se continuerant nisum servandae rei publicae crebris ab impetibus eorum qui, aliter sentientes, pro libertate et ipsi pugnabant. Certamina inter partes alebant oratorum artem eosque haud recludebant in pygmaeorum caveis quas anonimus illius libelli, qui, «περὶ ὑψους» inscribitur, vivide repraesentat. Libertas enim auget, minuit servitus.

Cordubensis autem tempora odiis ac simultatibus redundabant. Filius matrem per sicarios efferatosque ministros jubere haud dubitabat, mater omnia moliebatur dummodo filius principatum obtineret ac per eum, ad regale solium assumptum, dominatum exerceret. Quid gravius conspici poterat? Optimus quisque quid sentiret aperte expromere non poterat; omnia cruore ac nece reprimebantur; maxima laus

non in virtutibus, sed in dolis, in delationibus, in animi segnitie inveniebatur.

In Senecae fabulis tragicis illius aetatis horror manat («Il gusto per il macabro egli effetti forti è strettamente connaturato col tono stesso della vita contemporanea, ne è come la forma naturale, il segno distintivo, il timbro inconfondibile, la maniera più acconcia con cui quel bieco groviglio di passioni scatenate, quell'aura livida di crisi incombente potevano profilarsi, potevano, direi quasi, esalare in volute espressive») ¹. Complures fabularum personae, mea equidem sententia, nihil aliud repraesentant nisi illius temporis hominum, ficta indutorum veste, ingentia vitia. Probi cives in se reperire conabantur quid sibi conveniret vel deceret. Ex animis scatebant ea quae alias inveniri non poterant, in intimo hominum cum semetipsis colloquio posita erant ingentia bona quae malivoli spernenda putabant vel quacumque ratione negligebant.

Cum philosophus quam iniqua essent tempora animadvertisset, rei publicae tamen operam dedit non quod, ut adfirmant alii, utilitatis suae curae consulere in animo haberet, sed quia spe illa movebatur labanti patriae, sapientiae fructibus fretum, se auxilio fore. Ob quam rem Neronem, donec potuit, consilio adjuvit nec desiit in Caesaris aede philosophiae monita pervulgare juvenemque Agrippinae filium ad liberalitatem trahere. At ubi in irritum omnia cadere animadvertit, in solitudinem recessit ut studiis et otio frueretur. Solus secum fuit et in se omnia bona invenit: «Ferebatur Seneca, quo invidiam sacrilegii a semet averteret, longinqui ruris secessum oravisse, et postquam non concedebatur, ficta valetudine, quasi aeger nervis, cubiculum non egressus». (Tacitus, Ann., liber XV, caput XLV). Scripta quae ejus adhuc exstant homines docent veritatem sequi atque eam diligere; eos hortantur ut, numinum providentia confisi, mutuo amore inter se cooptent neve ullum detrimentum invicem afferant; in Romanorum animos inserunt stoicorum praecepta quibus in rerum discrimine perfuantur; suadent ut erga alios liberaliter agant tamquam si consulere sibi debeant.

Quae philosophus noster instituit consequuntur a recti vivendi ratione atque cum ea apte congruunt. Si interdum facere non potuit quin animi conscientiam non curaret, praesenti re coactus, id ei cul-pae non esttribuendum. Quisnam adfirmare potest se animi conscientiam semper curasse praesertim cum in discrimine versaretur? Ut id consequamur nonne tanta virtus requiritur quae sit digna non dico optimis hominibus, sed numinibus ipsis? Minimis neglectis mendis, adfirmare vere possumus Senecam omnia quae diceret et sensisse et

1. Hector Paratore, Seneca, Tragedie, Casini edidit, Romae, MCMLVI, pag. XX.

dilexisse. Sensit, quod ex intimo scatebant; dilexit, quia totum se ipsum in praeceptis invenit. Quin etiam interdum confiteri haud dubitat angustias in quibus versatur deque se ipso nullam jactationem tollit.

Extrema philosophi verba manifeste ostendunt quantum veritatem dilexerit. Codicilli, de quibus Tacitus in XV Annalium libro refert, in se concludunt bene actam sapientis vitam: «Ille interritus poscit testamenti tabulas; ac, denegante centurione, conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum jam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae, relinquere testatur, cujus si memores essent, bonarum artium fama, fructum constantis amicitiae laturos. Simul lacrimas eorum modo sermone, modo intentionior in modum coercentis, ad firmitudinem revocat, rogans ubi praecepta sapientiae, ubi tot per annos meditata ratio adversum imminetia. Cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? Neque aliud superesse, post matrem fratremque interceptos, quam ut educatoris praeceptorisque necem adiceret» (Caput LXII).

Senecae dicendi genus longe a Ciceronis concinnitate discrepat: «Lo stile di Seneca, —ait Conceptus Marchesi— come quello di Tacito, è stato recentemente giudicato barocco, perchè esso manca di architettura classica, perchè non è contenuto a forza nella semplicità di una impeccabile e impassibile armonia lineare, perchè è uno stile che ora complica, ora spezza, ora martella la idea... È lo stile della anima umana che è perchè l'anima umana è barocca... Lo stile di Seneca fatto di frasi brevi, attaccate, acute, luminose, improvvise, che incalzano spesso una medesima cosa per colpirla da più lati sino in fondo, è —fra le pagine negli scrittori latini— quello che parla a noi il linguaggio più vivo»².

Abruptum dicendi genus, quo philosophus quid sentiat exprimit, Quintilianus vehementer reprehendit, ratus id juvenes corrumpere, qui, novitate allecti, deterrima accepta libenter sequi soleant. «Objurgo Senecam —haec fere Quintilianus adfirmat— quia novum illius dicendi genus, praeterquam quod continet multa quae facilius reprehendas (at aliquid boni in eo inveniri etiam potest), novitatis perstudiosos juvenes corrumpit, qui, cum optima eligere debeant, plerumque deterrima sequuntur; ob id eum reprehendo, odio minime permoveor» (Institutio oratoria, liber X 125).

Senecae eloquentiam «prunulis flaccidis» infectam Marcus Corn. Fronto existimat. Nemo est qui nesciat quantum deceptus sit Quintilianus, qui, Ciceronem virum «caelestem» atque unum persequendum existimans, omnia nova objurgat atque desiderio movetur actatis illius qua Arpinas lumina ingenii sui profunderet adversariosque magno persequeretur impetu. At, dicere ausim, Quintilianus ipse, strenuus ob-

2. Conceptus Marchesi, Storia della letteratura latina. Edidit PRINCIPATO, Mediolani; 1952, vol. II, pag. 257.

jurgator, nonne Senecae magis quam Ciceroni accedit? Nonne animadvertit Arpinatis tempora jamdudum transisse et inanes esse conatus eorum qui auebant efficere ut transacta rediret aetas?

Totus Seneca invenitur in illo dicendi genere: tempora non scriptor, permutationem effecerunt. Si Seneca unus omnia permutasset, ejus nisus in irritum cedisset nostrisque temporibus nemo esset qui Cordubensem admiraretur vel ejus dicendi genere alliceretur. Quid de mira congruentia dicam verborum complexus cum illis quae auctor significare velit? Multum Romanorum litteras Cordubensi debere confiteamur necesse philosopho qui renovationem, non corruptionem attulise videatur.

Prof. ANTONIUS PAGANO
Via Leonardo da Vinci, 8, 3.^o piano
Catinae (Catania) in Italia

NOVIS REBUS NOVA NOMINA

«Johannes Carolus Pulchrimontanus (Schönberger) magister quondam meus nunc plus quam octogenarius — Augustae Vindelicum (Augsburg) natus est die 10 mensis Julii anno 1882 — commentariolum quendam misit, quem machinā scriptoriā transscriptum tibi, mi Domine, traderem in commentariis PALAESTRAE LATINAE mox vulgandum. Pietate igitur magistri dilectissimi adductus ilico, quod ille miserat, tibi misi dactylographice descriptum.» (P. Caelestis Eichenseer, O. S. B.)

Carolus Augustus Boettiger, philologus olim clarissimus, anno 1829 Dresdae libellum edidit, qui «Hercules in bivio» inscribitur. Illic in adnotatione ad paginam XXXIII summis laudibus effert feminarum Graecarum venustos gestus, quos in antiquis statuīs et picturis hodie quoque cernimus. Deinde haec addit: «Barbarus contra est gestus, quo utuntur nostrae aetatis musici, qui radio pilis equinis intento sonos eliciunt e fidibus. Cachinum movisset citharista antiquus, si abnormi bracchiorum iactatione chordas instrumenti collo obliquo innixi percurrisset, ut mos est hodie.» Quo igitur nomine appellemus illos musicos? In promptu quidem videtur esse vocabulum «fidicines», quod tamen non est satis perspicuum. Quidni eos vocemus *violinistas*?¹ Hujus vocabuli extremae syllabae (—istas) adscitae sunt e lingua Graeca, cfr. *grammatistés* (=magister legendi et scribendi), *sophistés*, *citharistés*. Et invenitur vox *citharistae* apud Ciceronem, Verr. 3,53, Phil. 5,15². Jam primis saeculi p. Chr. n. XVI decenniis ejusmodi vocabula viguerunt velut *humanista*, *jurista* (=jure consultus, juris peritus), *alchimista*, *nobilista* (nobilis; nobilitatis fautor), *Thomista* (=qui doctrinam S. Thomae sequitur, defendit), *Reuchlinista* (=Reuchlini fautor). Tamen talia vocabula nescio quid peregrini sonant, si Latine — id est bene Latine — scribere volumus. Nam *atheist* est is, qui deum esse negat, *pessimist* = qui de sorte humana pessima quaeque cogitat, condicionem gene-

1. Cf. KÜRSCHNER: *Lexikon der sechs Weltsprachen*², Berolini et Lipsiae 1931, vol. I, p. 1747: *Violinist(in)*, *violinist*, *violiniste*, *violinista* = Latine *violinista*, -ae m., *violinistria*, -ae f.; *ibidem*: *Violine*, *violin*, *violon*, *violino* = Latine *violīna* (quae dicitur). — Recentior hujus lexicī editio parata est: Zimmer & Herzog, Berchtesgaden (Germania).

2. In recentioribus linguis reperiuntur *atheist*, *deist*, *theist*, *optimist*, *pessimist*, *egoist*, *Graecist*, *Latinist*, *linguist*, *oboist*, *clarinettist*, *organist*, *saxophonist*, *bassist*.

ris humani miseratur, *egoist* = qui suis tantum commodis inservit, *Graecist* = linguae Graecae peritissimus, *Linguist* = linguarum comparandum peritus, *humanist* = philologus XV (etc.) p. Chr. n. saeculi, *humanisten* = primi illi sub initium renascentium litterarum doctrina florentes (excellentes) viri, *humanismus* = aetas renatarum litterarum (artium liberalium, ingenuarum, bonarum, optimarum)³.

Sed redeo ad musicos. Quaerere enim velim e sollertioribus, quo modo nominemus illud instrumentum (*arco*, *arcet*) a Boettigero lepidissime pluribus verbis explicatum, quo soni e chordis violinae sive violettae eliciuntur. Vereor enim, ne nomen 'arcus violinae' non satis aptum sit, quippe cum hoc vocabulo etiam violinae ipsius curvamina significari possint, quae sex numero esse notum est. Ceterum illud instrumentum hac nostra aetate non jam arcui simile est ut illo tempore, quo violina est inventa.

Dabam Dilinga ad Danubium sita
JOH. CAROLUS PULCHRIMONTANUS

3. Etiam vox *humanismi* Graecis syllabis finitur, cf. *logismos* = ratiocinatio. Sed a vocabulis in -ismus exeuntibus abstinere debemus, nisi forte sunt vocabula artis (*termini technici*), velut in grammatica «barbarismus, Graecismus, Germanismus».

Romani praeter *humanitatem* et *humanus* (humanior, humanissimus) nulla alia verba finxerunt.

AUGUSTUS BOECKH: *Encyklopaedie* etc. (Lipsiae 1886), p. 9, philologis superbiae tribuit, qui «Humanitaetsstudien» crepant, quasi aliae doctrinae non humanae sint. Itaque ne «humaniora (studia)» quidem dicemus; sufficiunt «artes liberales» aliaque verba, quae supra uncis includuntur.

PER ORBEM

III HISPANICUS STUDIORUM CLASSICORUM CONVENTUS

Matritum, caput Hispaniae, quasi scaena fuit III Conventus Hispanici Studiis Classicis fovendis, qui a die XXVIII m. martii ad diem I m. aprilis habitus est.

Quod sexcenti circiter studiosi —lectissimi viri et feminae, magistri et alumni, rerum periti et professores, juvenes et aetate proveci, plerique hispani cum nonnullis clarissimis viris exteris ad Conventum invitatis— huic Congressui celebrando fraterna humanitate convenierint, index est nostris hisce temporibus —quamquam interdum contrariis perflamur ventis— in Hispania modo disciplinas classicas linguasque graecam et latinam potissimum in praesentia vigere et in more esse.

Ut qui commentarios nostros assidue legunt quibusque Matritum conveniendi non fuit facultas, certiores de rebus hac occasione peractis fiant, notitiam aliquam libentissime trademus.

DIE XXVIII M. MARTII. Vigesima ferme hora in magna exedra Consilii Superioris Investigationum Scientificarum, spectatissimis viris Ministerii Educationis Nationalis praesidibus, Conventus sumpsit initium. Primum Dr. Rodríguez Adrados, clarissimus Praeses Congressus et Hispanicae Studiorum Classicorum Societatis, primam habuit orationem, qua, omnibus praesentibus comiter salutatis, luculentissima verba fecit quibus hodiernum statum ac momentum studiorum classicorum apud Hispanos aequo animo, forti fideique pleno perpendit.

Deinde clmus. Prof. Kurt von Fritz, qui pro praeside est Foederationis Internationalis Consociationum Studiis Classicis fovendis adstantes salutavit omnia fausta feliciaque de Conventu Matritensi augurans.

Denique cum nuntiatum esset clmum. virum Albareda, Consilii Superioris Investigationum Scientificarum Secretarium e vivis excessisse, qui adeo de Hispanica Studiorum Classicorum Societate meritus erat, ab omnibus pro ejus memoria colenda breve spatium silentii factum est.

DIE XXIX. Tempore matutino Dr. J. S. Lasso de la Vega scitissime de interpretatione e linguis classicis in hispanicam disseruit. De hac quoque re aliae sunt allatae breviores lucubrationes:

«*Textos griegos y latinos traducidos al gallego. Bibliografía*» (J. Alonso Montero), «*Carlos Riba y sus dos traducciones de la Odisea*» (J. Castellanos Vila), «*Traducciones del griego clásico al griego moderno*» (C. Miralles Solá), «*Traducciones españolas de obras poéticas clásicas*» (F. Moya del Baño), «*Problemas de la traducción poética*» (J. L. Pérez Iriarte).

Deinde alteram habuit lucubrationem Dr. Antonius Ruiz de Elvira: «*Estado y síntesis actual de los estudios de Mitología: Análisis mitográfico y síntesis mitológica*». De hac re rite locuti sunt:

«*Pensamiento mítico y desmitologización en el siglo V antes de Cristo*» (J. Alsina Clota), «*Mitología e intencionalidad*» (A. Díaz Tejera), «*La corona de Ariadna*» (F. Moya del Baño), «*Orígenes de la interpretación alegórica de los mitos*» (E. Roquet Llovera).

Simul Colloquium inibatur de «linguística» disciplina institutioni grammaticali accommodanda: «*La Fonética histórica y el método comparativo en la Enseñanza Media*» (M. Agud Querol), «*La tercera declinación con y sin lingüística*» (J. Calonge Ruiz), «*La regla de oro de toda traducción*» (D. Gonzalo Maeso), «*Reflexiones previas a la traducción de Tácito*» (J. Campos), «*Traducción de la terminología científica de Séneca*» (C. Codoñer), «*El latín litúrgico. Problemas de traducción*» (M. Díaz y Díaz), «*Estructura sintáctica latina y versión española*» (A. Fontán), «*Sobre varias traducciones de Tucídides*» (M. Fernández-Galiano), «*Heródoto: los problemas de la traducción y el vocabulario básico*» (M.^a E. Martínez Fresneda), «*Sociología de la traducción de los clásicos antiguos*» (P. Pericay).

Tempore vespertino tertia oratio cui index: «*El Bajo Imperio*», quam habuit Dr. Albertus Balil, Universitatis Matritensis Professor.

De re quoque rite disseruerunt: «*Vasconia y los Pirineos durante el Bajo Imperio. Situación social y económica*» (J. M. Blázquez), «*Sobre un documento hispano del Bajo Imperio*» (J. Campos), «*Datos prosopográficos de la Bética en las vísperas del Bajo Imperio*» (C. Castillo), «*Permanencia y mutaciones de los géneros literarios clásicos de Tertuliano y Lactancio*» (J. Fontaine), «*Mártires españoles del Bajo Imperio*» (F. Lasheras Bernal), «*Officium y beneficium en la lengua oficial y en los documentos eclesiásticos del Bajo Imperio*» (A. López Kindler), «*El Bajo Imperio en Ceuta*» (C. Posac Mon), «*Propiedad y población rural en el este de la Península durante el Bajo Imperio*» (M. Tarradell Mateu).

Quibus in deliciis est ars musica aures suas demulcere potuerunt concentum audiendo in quo lectissimi monodiarum («*solistas*») exquisitissimas magistrorum Arriaga et Beethoven partes adstantibus prae-buerunt.

Media nocte eodem die in aula magna antiquae Universitatis fa-

bula plautina «*Amphitruo*» in scaenam acta est a comoedis Bertae Riaza et Riccardi Lucia, qui Plauti sales spectantibus gustandos ridendosque dederunt.

DIE XXX. En nova maximi momenti oratio: «*Humanismo español de los siglos XVI y XVII*» a Dre. D. Aloisio Gil Fernández, Professore Univ. Salmanticensis.

Postea de hac re quoque locuti sunt: «*La pugna latín-romance en la enseñanza de la lectura durante el siglo XVI*» (J. Alonso Montero), «*La Hispaniola de Juan Maldonado*» (J. Gil Fernández), «*El P. Antonio Marqués, humanista del siglo XVII*» (J. Oroz Reta), «*El franciscanismo mesetario en el marco del humanismo español en los siglos XVI y XVII*» (L. J. Quintela Ferreiro), «*Las tres corrientes del humanismo español*» (A. Fontán), «*Luciano de Samosata, enjuiciado por españoles (1500-1700)*» (A. Vives Coll).

Hora undecima primum colloquium institutum est de studiis structuralibus grammaticae linguarum classicarum accommodandis: «*Gramática estructural y diccionario*» (F. R. Adrados), «*S sonora en latín, ¿variante o fonema? Estudio diacrónico*» (J. A. Correa Rodríguez), «*Coordinación latina y coordinación románica*» (E. Coseriu), «*Sobre fonología de la pausa en latín*» (R. M.^a Francia Somalo), «*La frontera silábica y la yod en griego*» (J. Calonge Ruiz), «*Apunte sobre el problema de la apofonía vocálica en latín*» (J. A. Enríquez).

Tempore autem vespertino haec lecta est quinta oratio ab auctore Dre. D. Aemilio Lledó Iñigo, Univ. Lacunensis Professore: «*El lenguaje filosófico griego: hacia la revisión de la terminología filosófica occidental*».

Cui orationi novam lucem attulerunt hujus modi lucubrationes: «*Untersuchung über Senecas de clementia*» (K. Büchner), «*Sobre el θανυμᾶζειν del filósofo*» (C. García Gual), «*Correlaciones entre los lenguajes filosóficos griego y latino (ecos silogísticos olvidados de Aristóteles en Pedro Hispano)*» (F. de Urmeneta), «*Las estructuras mentales (Denkformen) de los filósofos griegos*» (J. Vives Solé).

DIE XXXI. Dr. D. Emmanuel Fernández-Galiano, Univ. Matritensis Prof. de hodierno statu studiorum euripideorum; quam orationem aliae quoque oratiunculae compleverunt:

«*El dolor en la tragedia euripidea*» (J. Alsina Clota), «*Los oráculos en Eurípides*» (M. Benavente Barreda), «*Le Dionysos des Bacchantes et l'actualité historique*» (J. M. Carrière), «*Il problema della ricostruzione delle tragedie greche perdute*» (Q. Cataudella), «*Acotaciones estilísticas a la Alceste*» (A. Espinosa Alarcón), «*Sobre el Cresfontes de Eurípides*» (J. Lens Tuero), «*Evolución espiritual de Eurípides*» (C. Miralles Solá), «*Historia crítica de las ediciones de Eurípides en el siglo XX*»

(A. Moñino García), «*Hécuba, consideraciones estilísticas*» (J. L. Pérez Iriarte), «*Sur un motif de l'Alceste d'Euripide*» (A. Rivier), «*De fragmento codicis Euripidei nuper reperto*» (G. Zuntz), «*El problema de las interpolaciones en Eurípides*» (J. Zaragoza).

Hora undecima altera pars colloquii de linguistica et grammatica: «*Modalidades de análisis*» (E. Rodón Binué), «*Lingüística y antilingüística en la enseñanza*» (F. Sanz Franco), «*Sugerencias para un nuevo método de latín*» (J. Sanz Ramos), «*En defensa de la pronunciación española del latín*» (E. Tejerina).

Tempore vespertino hanc habuit orationem imaginibus fixis illustratam Dr. D. Antonius García y Bellido: «*Cuestiones planteadas por la urbanística antigua*». De eadem fere re disseruerunt: «*Sobre la formación y el desarrollo de la ciudad en el occidente mediterráneo antes de la conquista romana: paralelos itálicos*» (G. A. Mansuelli), «*Urbanismo de la ciudad romana de Clunia*» (P. de Palol), «*Problemas de la urbanística prerromana en el Extremo Occidente*» (M. Tarradell Mateu). Maximae certe fuit voluptati quibus adesse libuit lectioni scaenicae tragoediae Aeschylī cui index est «*Septem adversus Thebas*». Fabulam accuratissime interpretatus erat Professor Dr. F. Rodríguez Adrados vernaculo sermone.

DIE I M. APRILIS. En postrema oratio: «*Lengua y estilo en Virgilio*» quam habuit Dr. Lisardus Rubio Fernández, Univ. Barcinonensis Professor. Non nulla etiam de re attulerunt: «*Contribución al estudio del tiempo en la poesía de Virgilio*» (J. Echave-Sustaeta), «*Bucolismo y vida*» (A. Espinosa Alarcón), «*La onomatopeya en Virgilio*» (D. Gonzalo Maeso), «*Sobre la aliteración en Virgilio: una definición estilística*» (V. E. Hernández Vista), «*Notas sobre el libro IV de la Eneida*» (L. J. Quintela Ferreiro).

Finitur colloquium de grammatica structurali linguis classicis accommodanda: «*El aspecto verbal perifrásico en el griego antiguo*» (E. Coseriu), «*Oposiciones y neutralizaciones diatóxicas en griego antiguo*» (C. García Gual), «*Contribución al estudio funcional de los pronombres latinos*» (S. Mariner Bigorra), «*Aspecto formal de la oposición nominativo/acusativo*» (L. Michelena Elissalt), «*Las formas en -mini y los infinitivos latinos*» (J. Molina Yébenes), «*Kḗq̄ in Omero*» (P. Ramat), «*Comicidad verbal y sistema de la lengua*» (E. Rodríguez Monescillo), «*Ordenación de los casos latinos*» (L. Rubio), «*Estructura de los modos en griego antiguo*» (M. S. Ruipérez).

Finis imponitur colloquio de rebus vergilianis quae ad orationem octavam attinent: «*El sentido del tiempo en Virgilio*» (F. Carrasco), «*Los poemas virgilianos, los tres stili de Servio, y la rota Vergili*» (A. Fontán), «*La leyenda de Hércules y Caco en Virgilio y Tito Livio. Estudio estilístico*» (J. Sanz Ramos).

Eodem die vesperi III Conventus Studiorum Classicorum felici exitu perficiebatur. Magnam ibi frequentiam videres clarissimorum professorum studiosorumque latinitatis graecitatisque virorum qui adeo solidos plenosque Matrity egeramus dies. Professor D. Julius Calonge Ruiz omnia, quae in Colloquio dicta erant de linguistica disciplina linguis classicis in scholis accommodanda, in summam redegit tradiditque audientibus. Deinde R. P. Eleuterius Elorduy, S. J. ultimam habuit eamque luculentissimam orationem ad Senecae laudem atque memoriam.

Denique Dr. Adrados postrema verba fecit, e quibus admodum omnibus placuit votum illud quod omnium adstantium nomine Ministerio Educationis Nationalis pro lingua graeca et latina totis viribus in posterum servanda referebat. Quibus verbis Excmus. D. Angelus González Alvarez, Studiorum Universitariorum Moderator, hoc dedit responsum quod omnes validis longisque plausibus erant suscepturi: «Hoc omnes animadvertere velim ad omnem animi anxietatem removendam cum latinum tum graecum nunc in Ministerio Educationis Nationalis optima frui valetudine».

Faxit Deus ut opportuno tempore e III Conventu Hispanico Studiorum Classicorum optimos quosque fructus percipiamus: ut nova ratio ac methodus grammaticae structuralis —semper vero juvenum indoli accommodata— civitate in docendo donetur; ut lingua latina in primis multo in dies vividior apud omnes gentes perseveret; ut nunquam linguae classicae in institutione juvenum pereant, immo etiam vinculum sint novum validumque quo omnes gentes nostra aetate latinitatis graecitatisque communiione et usu toto orbe terrarum humaniter jungamur!

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

In Seminario Claretiano Professor

Alabonae ad Caesaraugustam (in Hispania)

BIBLIOGRAPHIA

HOESL, PAULA. — *Amor, Plenitud de vida*, 144 págs. Editorial Herder, 1963.

Laudandum sane opus Paulae Hoesl quo puellam ad cognoscendum quod proprium est feminei sexus manu quasi ducit. In prima enim parte opusculi investigatur quisnam puellae amandus sit et quidnam sit amor conjugalis; in altera parte "lumina rubra et lumina viridia" accenduntur ut quis prudenter eligere possit; in tertia parte Paula Hoesl ad meditandum invitatur de beatitudinis conjugalis condicionibus, de amore augendo, de genuina "veri foci" ratione; in postrema vero parte qui legit ad Deum evahitur, qui unus tantum lenitatis et caritatis humanae fons verus est aestimandus.

Paula Hoesl, perspicuo ingenio miraue hominis cognitione, difficultates enodare contendit, opportuna ad recte agendum praebet consilia, novos quasi prospectus seu vias in veteri provincia "amoris" aperit, ubi jam omnia dicta neque plura alia dicenda esse videntur.

GRECO, FELICE. — *La pedagogia presso i romani* (noterelle su Quintiliano). Editrice Ponte Nuovo Bologna, 228 págs.

"Liber meus — ipsum Felicem Greco audiamus — non consilio exaratus est critico vel philosophico, neque linguistico vel litterario, sed duntaxat ut in vulgus deferretur".

Animum tantum vult auctor revocare eorum in primis qui scholis

operam recte navant, in Quintilianum, studio dignum scriptorem primi saeculi Imperii, cujus cogitata paedagogica atque consilia, nostra tamen aetate, non obsolevisse videntur.

Res maximi momenti ad scholam et puerorum institutionem pertinentes, juxta Quintiliani praesertim sententiam, disputantur: schola in urbe Roma, Quintiliani vita et tempora, "Institutiones oratoriae", utrum schola publica an privata, officia parentum, magister ejusque munera et dotes, vacationes, praemia et poenae, hora ad scholam ineundam, scholasticorum officia, lectio, regulae ad recte loquendum, grammatica, memoriae exercitatio, educatio physica, ceteraque quae memorentur et a magistris sciuntur et retractentur digna judicamus.

GRANERI, LINO. — *Estetica pura*. Bari, Edizioni Nerio. 303 pag.

Periculum est ne omnis philosophus ultimum plane verbum de aethetica arte protulisse videatur. Nam hucusque aethetica ars sub uno aspectu eoque tantum philosophico solita est investigari.

Novam auctor aperit viam ad ingrediendam aetheticam disciplinam, nam contemplatio tantum philosophica non satis valet ad opera artium creanda neque ipsa una impedire potest quominus in artium provincia de recta via deflectatur. Quapropter Linus Graneri, quin plures de aethetica arte rationes ac vias philosophorum praetereat, ex ipsa rerum hominisque natura judicare nititur iisdem fretus cogni-

tionibus quae ab historia artis et necessitudine inter hominem et natura provenire videntur.

Necesse est ergo iterum ab imis inquirere ac ponderare problemata seu quaestiones aestheticae disciplinae inde ab experientia artistica repetendo ipsius aestheticae processum et evolutionem. Aliis verbis, L. Graneri pro principatu philosophiae principatum rei et naturae et hominis substituere contendit aestheticae disciplinae disputandae ac retractandae.

WARRY, J. G. — *Greek Aesthetic Theory*. Methuen & Co LTD, 1962, 168 pag.

Quid Plato et Aristoteles de Arte et Pulchritudine senserint in hoc libro disputatur. Per textus enim utriusque philosophi nobis recognoscere licet quamdam cogitandi et philosophandi propriam rationem.

En libri totius index: I. Introductio (1-14); II. "Romantica" apud Platonem pulchritudo (15-31); III. De harmoniae sensu (32-51); IV. Quanti Ars et Poesis aestimentur a Platone (52-67); V. De processu poetico (68-82); VI. Quid de Arte et Pulchritudine senserint Aristoteles (83-99); VII. Mimesis et Rhythmus (100-118); VIII. Catharsis (119-135); IX. Comoedia (136-148); X. Conclusio, bibliographia, index nominum rerumque (149-168).

Potius quam historiam auctor cogitata exponit, in primis vero ea cogitata et quaestiones, quae, ut Doctoris Laevis, magis in praesens agitantur. Opus magno adjumento erit praesertim novis lectoribus et alumnis quibus necesse sit tutam hujus rei initiationem aliquam habere.

COSTA, VITO. — *Il Critone, Platone*, 71 pag. FONTANA, PASCUALINO, *Laelius, De amicitia*, M. Tullio Cicerone, pag. 136. Editrice Ciranna, Roma.

Quamplurimi alumni nimio studiorum pondere onusti grato animo erunt erga Domum Editricem Ciranna, quae tam commoda opuscula ad eorum usum evulgat. His enim libellis via sternitur pueris praecipuas difficultates e medio tollendo quas ipsi in itinere per scripta classicorum invenire possint. Ita textuum interpretatio "interlinearis" vulgo dicta praebet cum sententiarum directa constructione.

Quo ad Critonem Platonis attinet, post luculentum prooemium cum epitome totius argumenti et brevissima bibliographia, textus interpretatione interlineari illustratus apparet. Opus finitur parvo formarum verbalium lexico.

Laelius de Amicitia, Ciceronis dialogus, alter libellus exstat collectionis quae "I Cirannini" inscribitur. Eadem ratione atque superior hic libellus est exaratus: directa sententiarum dispositio seu constructio, interpretatio interlinearis et non nullae annotationes quibus difficiliores loci collustrentur.

ADRIANI, ACHILLE. — *Repertorio d'arte dell'Egitto Greco-Romano*. Serie A, Vol. I (tavole 1-50); Vol. II (tavole 51-104). Fondazione "Ignazio Mormino", Banco di Sicilia, Palermo.

Opus cui titulus "Repertorio d'arte dell'Egitto Greco-Romano" industriae laborisque est fructus elmi viri A. Adriani qui investigationibus alexandrinis deditus Museum Alexandriae diu moderavit atque effossiones eo loco perfectas.

Opus non dubitamus quin maximo investigationis adjumento futurum sit in primis studiosis rerum antiquarum qui in eo possint deum invenire in unum quasi locum contracta et illustrata mira antiquitatis monumenta Aegypti Graeci ac Romani. Quibus tamen monumentis quae in Aegypto adhuc exstant, addidit auctor quam plurima alia ex Aegypto olim profecta sed ad alias collectiones exteras pertinentia vel rara dispersaque exemplaria.

Hoc monumentorum corpus haud parvum erit commodum in pervestiganda arte alexandrina quae tot easque implicatas difficultates praebet studiosis. Opus amplissimis notitiis bibliographicis et indicibus locupletatum, investigatoribus testimonium dare poterit Aegypti Graeci ac Romani quo ad artem illius aetatis alexandrinae attinet.

Hac vero serie A, quae inter alias quattuor est prima, monumenta colliguntur ad statuariam artem pertinentia. Quaeque imago describitur et illustratur ab auctore qui praeter notitiam loci ubi exemplar in praesentia asservatur, utilissimam de re adducit bibliographiam.

Quidni ergo haec duo prima volumina operis quod in dictione artis archaeologicae locupletissimum erit monumentum, lectoribus vehementer commendemus?

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

MINUCIUS, FELIX. — *Octavius*. Texte établi et traduit par J. Beaujeu. Les Belles Lettres. Paris. 1964.

MINUCIUS, FELIX. — *Octavius*. Lateinisch - Deutsch. Kösel - Verlag. München. 1965.

Minucius Felix, ut constat, sero

christianam religionem amplexus est eamque ab inimicis ut defenderet dialogum *Octavium* conscripsit in quo Ciceroniana quadam quasi elegantia duos amicos, Caecilium et Octavium, Ostiae, apud mare, secum de religione, disputantes facit. Caecilius religionem pristinam Romae, qua patria magna evaserat, defendit, novamque Christianorum doctrinam totis viribus exprobrat. Quod totum contra Octavius amicus facit, qui quidem perspicue ac vehementer tum stultitiam deorum cultus tum sanctitatem Christianorum vitae ostendit, quo fit ut Caecilius, deorum religione sprete, christianam amplectatur.

Hanc Collectionis "Les Belles Lettres" *Octavii* editionem optimam judicamus. Nam primo, in amplissima praefatione, totius operis explicatio inducitur in qua quae hujus operis sint propria quodque in tempus litterarum historiae incidat, cum aliis illud conferendo, ostenditur. Postea gallica interpretatio sequitur atque apparatus criticus in unaquaque pagina constituitur. Tandem in extremo libro 92 commentariorum paginae apponuntur.

Ad aliam quoque veniamus nunc *Octavii* editionem eamque pretiosissimam quam domus editrix Kösel nuper ex Germania ad nos misit. Domus Kösel *Octavii* tota ratio ita componitur. Primo non adeo longa sed doctissima praefatio praemittitur, quam latinus textus atque apparatus criticus cum germanica interpretatione sequuntur. Post textum quaedam vetera de libro Minucii Felicis testimonia afferuntur. Post haec vero testimonia index codicum, adnotationes bibliographicae, index nominum atque auctorum.

Duo ergo habes exemplaria hu-

ius vere aurei libelli qui "gemma apologeticarum litterarum" ab ipso Renan dictus est.

Association Guillaume Budé: VII Congrès, Aix-en-Provence, Actes du Congrès, 594 pp. Paris, Les Belles Lettres, 1964.

Novissimo huic gallicae Consociationis "G. Budé" coetui, Aquis Sextiis habito, plus quam sexcenti litterarum humanarum studiosi viri et mulieres adfuerunt quibus M. Dauin praeerat. In prima lectione M. Bernard Guyon eloquentissime de *Sartre et Orestis mytho* disseruit. Postea coetus in diversa consilia divisus est: consilium linguae gallicae, consilium linguae latinae, consilium linguae graecae, consilium linguae provinciensis et tandem consilium juvenum atque humani cultus consilium. Consilia linguae graecae, latinae et gallicae doctrinam stoicorum ab origine ad XVII saeculum consideraverunt. De antiquis scaenicis ludis etiam actum est. Ita M. F. Robert de origine actionis tragicae graecae dissertissime locutus est. Nec non aliquibus historicis minoribus dictis, ut Diodoro et Flavio Josepho, locus fuit. Consilio linguae provinciensis de Provinciae itineribus apud antiquos, de chronologia artis romanae-provinciensis, de multisque aliis relatum est de quibus omnibus in hoc volumine scriptum invenies.

Colloque pour l'étude des problèmes de la didactique du grec et du latin dans les pays de la communauté européenne, Compte rendu et communications, 156 pp. Blandijnberg, Gent. 1964.

Hoc colloquium Gandavi in Universitate habitum est eique 250 fere

Professores et Alumni adfuerunt. En aliquas ex praecipuis elucubrationibus quae ad colloquium relatae sunt quaeque in hoc volumine continentur: *Rôle de la lecture des auteurs classiques dans l'enseignement actuel, Peut-on appliquer une méthode directe intégrale à l'enseignement du latin?, Le latin en Italie aujourd'hui, La réforme radicale de son début, Les langues anciennes dans l'enseignement secondaire du Grand-Duché de Luxembourg, Quelques aspects principaux de la méthode De Man, Notes sur l'enseignement du latin, Die Besonderheit lateinischer Texte und ihre Interpretation in den deutschen Gymnasien, Le patrimoine antique dans l'enseignement occidental, Le laboratoire d'analyse statistique des langues anciennes à l'Université de Liège et l'établissement d'un vocabulaire de base et d'une grammaire de fréquence du latin, L'enseignement des langues anciennes dans l'enseignement moyen catholique, L'emploi de l'induction dans l'enseignement des langues anciennes fait aux débutants, Un nouveau vocabulaire de base du latin, La situation des langues anciennes dans l'enseignement moyen belge.*

IIJAJMAR, FRISK. — *Griechisches etymologisches Wörterbuch*. Lieferung 16. Winter. Heidelberg 1965.

DER KLEINE, PAULY. — *Lexikon der Antike*. Lieferung 7, 8, 9, 10, Druckenmüller. Stuttgart. 1966.

Nova fascicula duorum optimorum operum lectoribus nuntiamus. Et primo quidem 16 fasciculum graeci etymologici lexicum ab H. Frisk qui verba πατήρ - πόλις complectitur.

Ut videre licet multa hujus lexicī verba fusius explicantur atque cum aliis linguarum indoeuropearum verbis conferuntur quam in optimis linguae graecae lexicis fieri solet.

Parvi vero *Pauly* quattuor nova fascicula ad manus habemus: in septimo, quo primum volumen persolvitur, vocabula a *colonus* ad *curtius* afferuntur; octavus fasciculus locutione *dicta Catonis* incipit et ad verbum *Epiorkia* extenditur, in nono fasciculo verba ab *Epiphaneia* ad *Exercitum* invenimus; et tandem in decimo verba ab *Exercitu* ad *furias*. Hoc re vera lexicon non tantum magni operis *Pauly* *Wis-sowa* epitome sed aliud quasi *Le-vium* opus est. Consulas, si libet, longum conscriptorum nominum indicem.

GEORG, CAPELLANUS. — *Sprechen sie Lateinisch?* Dümmlers Verlag, Bonn 1966.

Haec est XIII editio operis Georgii Capellani a Dr. L. Spohr locutionibus nostrae aetatis aucta. Summo ingenio auctor sermonem latinum gratissimum facit idemque quam lingua latina locutionibus atque ideis omnino novis hujusque temporis non minus quam vitae usui atque experimentis sit apta plane commonstrat. Lingua classica praecipue ulitur; cum vero novae ideae vel artificia romanis incognita exprimenda sunt, illud Horatii tenet: "Nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si graeco fonte cadent, parce detorta".

HERODOT. — *Historien I, II*, Griechisch - deutsch. Herausgegeben Von Josef Feix. pág. 1434.

PLATON. — *Ion*. Herausgegeben Von H. Färber und M. Faltner. pág. 72.

CICERO. — *Cato Major*. Herausgegeben Von H. Färber und M. Faltner. pág. 197.

CICERO. — *Über das Fatum*. Lateinisch-deutsch. Herausgegeben Von K. Bayer, pág. 167.

APULEJUS. — *Der goldene Esel*. 2. verbesserte Aufl. Lat. deutsch ed. Brandt-Enlers, pág. 607. Heimeran-Verlag, München.

Jam diu a nobis aliqua Domus Edítrici Ernst Heimeran pretiosa opera lectoribus nuntianda erant.

Et in primis Herodoti *Historiae*, duobus voluminibus contentae, nobis occurrunt. In primo libri I-V operis Herodoti editi sunt. Textui graeco nitidissime expresso accurata in linguam germanicam conversio apponitur. In fine voluminis ratio uniuscujusque libri distincte exprimitur.

Similiter alterum volumen disponitur; sed in hoc aliqua studia atque annotationes adduntur: selecta de vita et operibus Herodoti testimonia; appendix de auctore, de operibus, de fontibus, de sermone aliisque; index bibliographicus eorum omnium quae Herodotum attingunt; plurimae annotationes ad uniuscujusque libri difficiliora loca; regum et principum familiae de quibus in Herodoti *Historia* agitur ordinata descriptio; priorum nominum longum lexicon; Persiae aliarumque civitatum regum conspectus; quinque praecipuorum Herodoti editionum lectionum differentium etiam conspectus; et tandem omnium

Historiarum librorum ratio et distributio.

Brevis etiam Platonis dialogus *Ion* notandus est in quo, post graecum textum cum germanica interpretatione, aliqua de ipso dialogo, de historia textus, de bibliographia adduntur.

In alio volumine Ciceronis *Catonem Majorem de Senectute librum* habemus quem optime germanice interpretatus est M. Faltner. Post textum ejusque interpretationem aliqua notatu digna invenimus. Et primo quidem quamdam *Catonis Majoris* quasi praefationem. Postea multiplices ad diversos operis locos annotationes. Et tandem bibliographicus index et nominum.

In Ciceronis vero *De Fato* aliquantulum editionis ratio mutatur. Cum textu enim latino et germanica interpretatione unicuique paginae in pede copiosus apparatus criticus inseritur. Aliqua etiam aliorum auctorum, ut Gellii, Servii, Augustini, fragmenta ad textum spectantia afferuntur. De codicibus, de documentis, de fontibus, de editionibus, de his quae ad textum efficiendum concurrerunt, de bibliographia, fuse auctor in altera libri parte agit.

Apuleji tandem operis undecim libri, a Domo Editrice Heimeran optime editi, nobis advenerunt. In hoc volumine, post textum latinum et germanicam interpretationem, quaedam quasi praefatio postponitur in qua de textu latino deque aliis ad Apuleji opus pertinentibus auctor disputat. In fine libri textus graecus et germanicus illius operis ΛΟΥΚΙΟΣ Η ΟΝΟΣ, quod nomine Lucii ad nos advenit, apponitur.

A. S. F. GOW et D. L. PAGE. — *The Greek Anthology: Hellenistic Epigrams*, I: Introduction and Text; II: Commentary and Indexes, L-264, 720 pp. Cambridge Univ. Press, 1965, £ 12, 12 s.

Hellenistica epigrammata ea fere ab auctoribus dicuntur quae, ab anno 323 ad 100 ante C. n. composita, in Meleagri compilationem cogi potuerunt. Ex hac Meleagri *Corona* auctores sua epigrammata excerpterunt. Sed notandum est epigrammatis nomen nequaquam eodem sensu quo apud nos usurpari. De brevi agitur poemate, seu inscriptione, seu dedicatione cuivis monumento inscriptis. In Meleagri *Corona* epigrammata litterarum ordinem sequebantur. X autem saeculo ex his rebus glomerari voluerunt de quibus in unoquoque agebatur. Horum voluminum editores sua cuique auctori epigrammata, et primo quidem antiquioribus, tribuerunt. Itaque in primo volumine 850 epigrammata, nitidissime edita atque apparatu critico exornata, inveniuntur. In altero vero volumine, quod ad 719 paginas extenditur, copiosi commentarii uniuscujusque epigrammatis continentur in quibus ejusdem argumentum, quibus temporibus redactum sit, quos poetas habuerit auctores, quem locum in Anthologia Palatina explicatur. Hoc tandem volumen duplici indice, graeco et anglico, epigrammatum textui respondentem, conficitur. Notandum quoque epigrammatum numero longe hanc editionem alias superare.

OTTO SEEL. — *Römertum und Latinität*, 618 pp. Klett Verlag, Stuttgart, 1964, 39'50 DM.

Multa quidem praeclara in hoc

volumine. Romanitatem enim Romanae auctor considerat hujusque Romanitatis significationem seu vehiculum quod lingua latina est. Etiam syntaxis, significantia, analogia, logica et ipsa quasi virtus linguae latinae considerantur, quae quidem lingua disciplinam, claritatem et sensum redolet. Roma enim potentiam ac vim demonstrat. Roma poeta est. Haec fere operis ratio. Sed non tantum historia consulenda. Ad ipsam Romanitatem, ad institutiones, ad linguam recurrendum. Et auctor quidem multis aliis disciplinis utitur: mediae aetatis historia, historia litterarum, linguarum studio, quibus omnibus quasi conspectum Romae unum consequitur neque Romanitatem cum Latinitate confundit, sed unionem nobis proponit atque ostendit.

BRALDENSTEIN, WILHELM. — *Griechische Sprachwissenschaft, III Syntax I*, pág. 145. 1966. DM 5'80.

SEGALL, BERTA. — *Tradition und Neuschöpfung in der Frühalexandrinischen Kleinkunst*, 63. S. und 21 Abb. 1966. DM 38.

HANS VOLKMAR HERRMANN. — *Die Kessel der orientalisierenden Zeit, erster Teil*. X - 198 Seiten u. 76 Tafeln 1966. DM 68. Walter de Gruyter. Berlin.

Brevis eaque subtilis atque eruditissima explicatio eorum quae syntaxis classicae graecae propria sunt, hoc libro continetur. In eo enim nominum casus, partes orationis eorumque inter se syntacticas relationes pertractata invenies. Quae omnia ad linguam latinam, anglicam, germanicam et gallicam saepissime referuntur, quo evenit ut conversio

in aliam linguam facilius efficiatur meliusque ad nos verus linguae classicae graecae perveniat sensus.

Singillatim alter liber exemplaria archeologica minoris generis persequitur ut vasa, ut parvulas statuas fictiles, aeneasque cet. quae quidem magnam mutationem in classicis graecis artificibus post mortem Alexandri nobis exprimunt. Haec opulentior ars antiquorum, a diversis civitatibus non nunquam repetita, ad cultum usque christianorum pervenit.

Postquam elementa quae in vase artem efficiunt auctor describit, cui archaeologico tempori opus conveniat, quae proxima ante ipsum fuerint quoque modo posteris temporibus in artem influat declarare idem intendit.

Tandem H. Volkmar Hermann in suo optimo ac magnifico libro omnia ahenorum, ejus praesertim quae inscriptione B 224 notatur, largissime ac perfecte investigat elementa. Ansas primo, quae his crateris ornamento sunt, describit, quae earum sint genera, qua arte fictae quibus in locis inventae. Etiam in descriptione ansarum cum signis alatis atque cum hominum pictis imaginibus moratur. Graeca deinde versat exemplaria quae eorum tempora, qui loci ubi inventa sunt. Sed de his omnibus auctor singillatim ac distincte dicit. 26 praeterea, lector, picturas appositas invenies et 76 imagines arte photographica expressas quibus opus Hans-Volkmar luculentissimum ac peritissimis viris proprium evadit.

GRUBE, G. M. A. — *The Greek and Roman Critics*, pág. XI-372. 1965. 50 s.

WEBSTER, T. B. L. — *Hellenistic Poetry and Art*. XX-321, pág. 1964. 42 s.

AYLEN, LEO. — *Greek tragedy and the Modern World*, pág. 376. 42 s. Methuen. London.

Auctores graeci et romani omnia fere litterarum genera invenerunt eorumque de litteris existimationes multum apud omnium temporum homines semper valuerunt. M. Grube in Toronti Universitate Professor hoc intendit, quid scilicet graeci et romani de litteris inde ab Homeri temporibus ad tertium usque post C. n. saeculum existimaverint, investigare. Quare volumina graeca et latina ipse persequitur quidque de generibus litterarum antiqui scriptores scripserint nobis ostendit. Breviora quidem de Homero, de Hesiodo, de Pindaro, de auctoribus tragicis et de sophistis affert; affluentius tamen de Aristophane, de Theophrasto et de Demetrio loquitur; etiam de Cicerone, Quintiliano, Horatio, Tacito aliisque multis, tum interpretibus tum grammaticis. Opus M. Grube optimum iudicamus omnibusque litterarum humanarum magistris atque studiosis viris vehementer commendamus.

Hellenisticae poesis aliorumque eorum temporum pulchrorum operum historiam Webster in suo libro scribit. Primo de Graecia comoediae novae Anyti et Arati temporibus sermonem facit Tanagraeque imaguncularum atque Pellae tessellarum artem exponit. Postea de clarissimis poesis alexandrinae auctoribus atque de alexandrina arte ad exeuntem saeculum II ante C.n. agit. Pergami quidem etsi ars poesi antecellit, sed Antipater Sidonius et Meleagrus Gadarensis clarissimi sunt poetae

quos auctor fusius pertractat. In ultimo vero capitulo qui fuerit Graeciae cultus in Sicilia et in Italia meridionali quantumque ars Graecorum in Romanorum arte valuerit explicatur. Haec quidem clarissima Webster laus quod litterae et artes non sejunctae apparent sed in unum reductae pertractantur.

Hujus temporis hominibus ut illis qui ante nos fuerunt opus tragoedia est. Homines enim quam in incerto sua vita sit quamque in hoc dubio optimus vivendi modus sit quaerendus norunt. In tragoedia homines quae justa et quae damnanda in sua vita vident, quo modo res estimandae et quid, postquam res viderint, illis faciendum. Haec L. Aylen sententia. Antiquam ergo tragœdiam, Aeschyli scilicet Sophoclis et Euripidis, cum hodierna auctor comparat Miller, Cocteau, Gide, Girandoux, Sartre, Eliot... Poetae, actores et critici, uti auctori videtur, parum homines meliores reddere valent. Tragoedia igitur medius est quo homines quid ipsi esse debeant significatur. Et ideo nostrae aetatis homines, ita auctor, maximos fructus ab antiqua tragoedia percipere possunt etsi haec nostra aetas multum differat ab illa. Goethe verbis auctor assentitur: "Molière studeamus, audiamus Shakespeare, sed praesertim antiquos graecos, semper antiquos graecos, audiamus".

C. M. BOWRA. — *Pindar*, XVII-446 pp. in-8.º, 1964, 50 s.

L. D. REYNOLDS. — *The medieval Tradition of Senec's Letters*. XII-168 pp. in 8.º, Oxford Univ. Press, 1965 40 s.

Jam diu tragoedia atque lyrica graeca maximae curae C. M. Bow-

ra sunt, qui quidem in hoc libro non tantum subtile proemium totius Pindari operis nobis offert, sed etiam eorum quae in illo praecipua sunt diligentissimam pervestigationem. Pindarus enim poetam natura concitatum facit, deos inter et homines quasi medium, quae quidem Pindari poetae interpretatio maximopere nos delectat. Novem libri capitulis quid Pindarus de poetica senserit videmus: deos, heroes et homines; rerum civilium scientiam, athleticae eximiam speciem; sermonem, nova verba eorumque traslationes; mythum; unitatem et varietatem in odes constructione; ipsum tandem poetam. M. Bowra Pindari poetae novas atque multiplices virtutes vere consecatur. Verum poeticae sensum —ut nobis videtur— interpretatur atque de lyrico graeco eruditissime semper disputat. Quamplurimos Pindari textus considerat quos et in anglicum presse ac diserte convertit. Optimos libro praeponit auctores consulendos; et tandem in fine loci pindarici afferuntur.

Multa adhuc de Senecae ad Lucilium litterarum textu quaesita sunt. Anno 1964-1965 Fr. Préchac litteras ad Lucilium in collectione "Budé" et ipse in vulgus edidit qui et contendebat Bambergensem decimi saeculi codicem a codice pendere litteris minutis italicis descripto; hic vero a codice gothico aut etiam a codice litteris uncialibus expresso. Sed contra L. D. Reynolds codicem B ab alio codice uncialibus litteris descripto directe pendere contendit. Hoc quidem volumen quamdam quasi praefationem constituit textus litterarum ad Lucilium quem ipse Reynolds in oxoniensi collectione nuper vulgavit in eoque longam doctissimamque disputationem de Senecae codicum textus me-

dia aetate filiatione, lector, invenies. L. D. Reynolds tandem plurimos examinavit codices etiam recentiores quos multi adhuc eruditi viri plene neglexerant.

SENEQUE. — *Phèdre*, édit. introduc. et comment. de P. Grimal, coll. Erasme, 172 pp. in 12, 1965, 10 F.

PARISET, Fr. G. — *L'art classique*, 182 pp. XXXIX pl. 1965. Paris, P.U.F.

Seneca quidem non paucis in componendo suam Phaedram uti potuit exemplaribus: duabus Euripidis tragoediis, Sophoclis, Lycophronis et quarta Ovidii Heroidum parte. At duo tantum horum poematum ad nos pervenerunt ex quo fit ut Senecae novitas ejusque in personis tractandis industria difficilius dijudicari possit. Sed M. Grimal Senecae operis totam rationem ejusdemque primarum personarum mores explicat. Textu Moriccae auctor utitur, Codice Etrusco fundato atque in Corpore Paraviano edito. Annotationes tum ad grammaticam tum ad litteras pertinent in eisque Philosophus Cordubensis saepe cum aliis romanis poetis confertur.

Classica ars ea fere dicitur quae ex fontibus graecis et romanis formas et exempla sibi desumit. Fr. G. Pariset de renovatione artis classicae in Italia primo agit unde ille motus ortus est; postea vero quo modo ad ceteras Europae nationes haec ars defluerit ipse persequitur. Sed Angliae artem merito praetermittit dum in Galliae classica arte diutius moratur. Etiam Architecturae, sculpturae, artibus decorativis et graphicis auctor operam in libro dat.

J. ASPA, C.M.F.

R. DE VAUX. -- *Instituciones del Antiguo Testamento*. Herder, Barcelona 1964.

Novum laudandumque sane volumen Bibliothecae Herderianae. Hoc libro novissima offeruntur inventa recentissimae investigationis quae ad rem attinet. Introductionis instar primum nomadarum mores tribuumque constitutio exponuntur. Deinde instituta familiaria, civilia, militaria, religiosa pertractantur. Mores familiares, exterorum servorumque circumcisio, regis persona ejusque munera et officia, necessitudo legis cum foedere divino, bellum gerendi genus ceteraque, quendam secum ferunt sensum religiosum qui praecipue in cultu et in liturgicis caerimoniis apparet.

Institutis plebis electae instituta communitatis electorum praeparantur atque praesignantur. Omnia illius sacri temporis acti memorare et ante oculos nostra maxime interest, cum verbum Dei aliquid vivum sit meliusque percipiatur si iisdem condicionibus quibus prolatum sit, in praesens exaudiatur.

Nitido dicendi genere eoque scientifico Pater R. de Vaux maximi momenti opus exarare assecutus est, quod non tantum in intelligenda Sacra Biblia lectoribus rerum biblicarum non peritis, verum etiam exegetis ipsis ipsisque studio-sis haud parvo erit adjumento.

P. BABIN - J. VIMORT. — *El adolescente y sus problemas*. Herder, Barcelona, 1964, 136 págs.

Notissimus in re paedagogica P. Babin aliud opus haud parvi momenti praebet quod utilissimum praesertim parentibus in filiis cognoscendis et educandis aestimamus.

Actas nostra hodierna periculo ruinae auctoritatis laborat. Severum esse opus est? An quod pueri velint indulgenter permittere? Saepissime parentes filios non animadvertunt adolevisse, superiores mores mutavisse alioque modo erga eos sese gerere debere. Itaque parentes plerumque anxii turbatique manent.

Etsi laboribus occupationibusque sint distenti parentes non uulla in hebdomade temporis spatia sibi servare debent ut legant, meditentur, commentariis illustrent quaestiones quae ad filios adulescentes spectant.

In paginis libri quem commendamus invenient parentes quid de educatoribus sentiant juvenes, quid de moribus, quid de vita ceterisque. Quae palam nunc vulgantur sincera sunt testimonia adolescentium utriusque sexus variaequae condicionis socialis qui a quindecim annos ad viginti duo sunt interrogati.

Quae responsa utilem ansam dant parentibus et educatoribus ut rationes et vias paedagogicas renovent easque ad hodiernas necessitates accommodent.

SEVERINI, LUIGI. — *Camino verde*. Herder, Barcelona, 154 págs.

En, lector humanissime, totius operis clavis atque explicatio: "auctor spei colorem arripit viaequae imaginem ut ex duobus his verbis signum efficiat paginarum quas legentibus tradit".

Libro fere triginta continentur narratiunculae seu tabulae descriptivae vividissime depictae regionum venezolanarum quarumdam, quas italus scriptor, L. Severini, viridis spei plenus, benignis propheticis-

BIBLIOGRAPHIA

que oculis contemplatur atque describit, ut signum et imaginem terrarum colendarum fontemque incredibilium divitiarum, dummodo homo recens, irrequietus et aberrans, in almam tellurem revocetur eamque sincero amore prosequatur.

HERMANO CARLOS DE JESÚS. — *Directorio*. Herder, Barcelona, 1963, 128 págs.

Textus hujus opusculi est quoddam vitae institutum, quod venerabilis Pater Carolus de Foucauld tradidit Jesu Fraterculis quorum societatem ipse condiderat.

Quod "Directorium" facile nobis significare potest quo apud Fraterculos Jesu munere oratio fungatur quantumque meditatio eis valeat, quod vivendi genus et spiritus in Fraternitate habeatur.

Omnes qui P. Carolum de Foucauld —hominem vere Dei— mirantur, quodammodo in fonte et vim et claritatem ejus doctrinae spiritualis haurire poterunt.

COMBLIN, J. — *Hacia una teología de la acción*, Treinta años de investigación. Herder, Barcelona, 1964, 132 págs.

Hoc opere investigantur nova theologica itinera et cursus quae jam inde ab anno 1930 apparuerunt quaeque futuram viarum in theologiae provincia jam speciem quandam praebent.

In primo libri capite cui est index: "Sensus investigationis theologicae" J. Comblin inquirat quo pacto nuntius christianus hominibus allatus sit. In altero capite quod "Theologia et problema praedicationis" inscribitur, origo, progressus, momentum ac vis theologiae

charismatica, kerigmatica, pastoralis "novaeque theologiae" vulgo dictae tractantur.

Liber expositione finitur "theologiae hominibus praestitutae". Paucis verbis, opus videtur quasi adumbratio quaedam vel prima delineamenta ad theologiam laicatus erigendam atque constituendam.

P. ENRIQUE DEL SAGRADO CORAZÓN. — *Cristo y María*, Unico principio de salvación. Herder, Barcelona, 1964. 228 págs.

Quaestio praecipua videtur in theologia mariana praefinire munus et officium quod habeat Beatissima Virgo Maria in oeconomia salutis locumque quem Ipsa et in Ecclesia et in animis christifidelium teneat.

Saepissime ab ecclesiastico magisterio haec accepimus: Mariam esse Matrem Ecclesiae, uniuscujusque christiani, Corporisque Christi Matrem. Haec autem maternitas aliquod quasi fundamentum expostulare videtur. Ubinam vero id inveniri licet, quo pacto praestitui? Hoc certe est fundamentum ac ratio: Mariae cum Christo consociatio, tanquam novae Evae cum novo Adamo in administranda hominibus salute. Sed mariologi cum in definiendam Mariae cum Christo cooperationem incumbunt, in plures disperuntur sententias. Haec videtur quaestionum mariologicarum radix.

Pater Henricus a Sacro Corde in libro considerationes historicas et doctrinales scitissime colligit atque exponit quibus altam totius mariologiae quaestionem attingens penitus collustrare temptat, recentissimis in primis fretus documentis magisterii pontificii.

M. MOLINA, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"
 venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET
 LAURIA, 5 BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Grammatica Latina	ptis.	60
" Repetitorium	"	60
" De Orthographia latina (altera editio)	"	20
" Index latinus	"	5

"TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI

JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.)	ptis.	10
" <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.)	"	12
* RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	"	10
* MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.)	"	12
* " <i>Ciceronis pro Archia poeta</i> (2 edit.)	"	10
* " <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.)	"	10
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	"	10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.)	"	12
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.)	"	10
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	"	8
* ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	"	12
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I)	"	14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	"	12

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, pesetis 6

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 155 Tácit - Annals (vol. II). Llibres III-IV
- 156 Xenofont - Ciropedia (vol. I). Llibre I
- 157 Ovidi - Tristes (vol. I). Llibres I-II
- 158 Polibi - Història (vol. VI). Llibres IX-X

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Via Layetana, 30 - BARCELONA